

ANONYMUS MATRITENSIS  
QUAESTIONES SUPER LIBRUM PRAEDICAMENTORUM:  
AN EDITION

*Robert Andrews*

**Introduction to the Text**

Anonymus Matritensis *Quaestiones super librum Praedicamentorum* is offered as a complement to Petrus de Alvernia *Quaestiones super librum Praedicamentorum*, edited in CIMAGL 55 (1987): 3-84. Attention was first brought to the Madrid text by Jan Pinborg, who in a series of articles pointed out the connection between the Madrid manuscript and the Paris and Florence manuscripts containing the authentic Petrus de Alvernia commentary, and who gave a list of the introductory questions to the Madrid text [CIMAGL 9 (1973): 47-67; CIMAGL 14 (1975): 40-6].

From the first, Pinborg's intuition was that the Madrid text should not be ascribed to Petrus de Alvernia. This judgement can be bolstered by a comparison of the doctrines of the two commentaries, which in most cases differ and in some cases are contradictory. In the attribution to Petrus de Alvernia in the explicit of the Madrid commentary, "Alvernia" has been scratched out by a firm hand. The erroneous attribution can be explained by the presence of the *Quaestiones libri Perihermeneias* (ff. 2r-13v), correctly ascribed to Petrus de Alvernia in both incipit and explicit, in the same manuscript.

There is a complex interconnection among the following early 14th- or late 13th-century manuscripts. Ms. Paris Bibl. Nat. lat. 16170, ff. 88r-99r and ms. Firenze B. Laur. Conv. Soppr. S.Croce plut. XII sin. 3, ff. 3v-7v contain nearly identical texts of Petrus de Alvernia on the *Categories*. Whereas ms. *P* ends with two unique questions, qq. 61 and 62, ms. *F* gives a different version of q. 62 and adds thirteen questions on the final six categories and postpraedicamenta. These final questions of ms. *F* all correspond, either precisely or in outline, with the final questions of ms. Madrid BN 1565.

Possibly the scribe of ms. *F* (or of its exemplar), dissatisfied with the abrupt ending of Petrus de Alvernia's commentary on the *Categories* in the middle of the chapter on quality, decided to append relevant questions from another commentary, in this case from the same text as ms. *M*. Whatever the correct explanation might be, the evidence of ms. *P*, its curtailment at precisely the point where ms. *F* begins to agree with ms. *M*, indicates that ms. *M* provides a continuous text, and that its author is not to be identified with Petrus de Alvernia. Lacking further testimony, we have called this author Anonymus Matritensis.

This edition is based throughout on ms. *M*. For the final fourteen questions, mss. *M* and *F* clearly have versions of the same text, but the differences are great enough that they have been edited separately, with cross-references. The texts of both mss. are very bad, and the edition has not always succeeded in restoring a convincing text. As it stands, the edition has been immeasurably improved by the suggestions of Dr. Sten Ebbesen.

In the *apparatus fontium* brief references are given to standard editions. For lemmata and citations from the *Categories* I have followed *Aristoteles Latinus* I,2, *editio composita*, and for other Aristotle passages *Aristoteles Latinus* where available. I have quoted from Hamesse's *Les Auctoritates Aristotelis* in cases where Anonymus Matritensis seems to have used a precursor of this florilegium. In order to point out similar questions in commentaries of the same tradition, a note preceding each *apparatus fontium* indicates parallel questions in Martin of Dacia, Peter of Auvergne, and Simon of Faversham: Martinus = Martinus de Dacia *Quaestiones super librum Praedicamentorum*, in *Martini de Dacia Opera*, ed. H. Roos, *Corpus Philosophorum Danicorum Medii Aevi* II, Copenhagen: G.E.C. Gad, 1961; Petrus = Petrus de Alvernia, *Quaestiones super Praedicamentis*, ed. R. Andrews, *CIMAGL* 55 (1987):3-84; Simon = Simon de Faversham, *Quaestiones super libro Praedicamentorum*, in *Opera Omnia* Vol. I, *Opera logica*, tomus prior, ed. P. Mazarella, Padua: CEDAM, 1957.

***Index quaestionum***

- 1: Utrum de praedicamentis possit esse scientia
- 2: Utrum scientia de praedicamentis sit una
- 3: Cui conveniat scientia de praedicamentis
- 4: Quare non faciat mentionem de aliis speciebus nominum, sed tantum de aequivocis, univocis, et denominativis
- 5: Quot requirantur ad denominationem proprie
- 6: Utrum divisio in praedicamenta sit divisio generis in species, vel aliqua alia divisio
- 7: Utrum non sint plura nec pauciora praedicamenta
- 8: Utrum substantia sit genus unum
- 9: Utrum substantia quae est materia, forma, vel compositum sit genus generalissimum vel praedicamentum
- 10: Utrum substantia singularis prior est, et substantia universalis posterior
- 11: Utrum album possit praedicari de subiecto
- 12: Utrum ratio albi praedicetur de subiecto
- 13: Quaeritur de hoc quod dicit: Color est in corpore, ergo in aliquo corpore; et homo est animal, ergo aliquis
- 14: Utrum destructis primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere
- 15: Utrum non esse in subiecto sit principium cuiuslibet substantiae
- 16: Utrum substantiae sit aliquid contrarium
- 17: Utrum substantia suscipiat magis et minus
- 18: Utrum quantitas sit genus
- 19: Utrum quantitas sit unum genus
- 20: Utrum numerus sit quantitas
- 21: Utrum numerus sit unus
- 22: Utrum oratio sit quantitas
- 23: Utrum locus differat a superficie
- 24: Utrum motus sit quantitas per se
- 25: Utrum quantitati aliquid sit contrarium

- 26: Utrum relatio sit substantia vel accidens
- 27: Utrum relatio sit unum genus
- 28: Utrum relatio sit omnis forma respectiva
- 29: Utrum relatio differat in essentia a re supra quam fundatur
- 30: Utrum relatio requirat aliquid in suo esse extra subiectum
- 31: Utrum similitudo qua Socrates est similis Platoni sit una secundum numerum
- 32: Utrum similitudo per quam Plato refertur ad Socratem sit in Socrate tamquam in subiecto, vel in ambobus
- 33: Utrum paternitas et filiatio sint una relatio in specie
- 34: Utrum dependentia accidentis, sicut albedinis, sit relatio
- 35: Quaeritur circa definitionem qualitatis
- 36: Utrum forma substantialis sit qualitas
- 37: Utrum habitus et dispositio sint eiusdem speciei qualitatis  
Cf. ms. F: Nota
- 38: Utrum accidens in abstractione suscipiat magis et minus  
Cf. ms. F quaestio 62: Utrum accidens in abstractione suscipiat magis et minus
- 39: Utrum mediis coloribus sit aliquid contrarium  
Cf. ms. F quaestio 63: Utrum mediis coloribus sit aliquid contrarium
- 40: Utrum actio et passio suscipit contrarietatem  
Cf. ms. F quaestio 64: Utrum actio et passio possint recipere contrarietatem
- 41: Cuius sit oppositio tamquam subiecti  
Cf. ms. F quaestio 65 (-66): Cuius sit oppositio tamquam subiecti
- 42: Quare tantum sunt quattuor species oppositionis  
Cf. ms. F quaestio (65-) 66: Quare sunt tot species oppositionis et non plures nec pauciores
- 43: Utrum oppositio sit in praedicamento  
Cf. ms. F quaestio 67: In quo genere sit oppositio
- 44: Utrum relativa sint opposita  
Cf. ms. F quaestio 68: Utrum relativa sint opposita
- 45: Utrum contraria ad se invicem referantur  
Cf. ms. F quaestio 69: Utrum contraria aliqua secundum id quod sunt ad se invicem dicantur
- 46: Utrum ab habitu in privationem possibile est devenire  
Cf. ms. F quaestio 70: Utrum a privatione in habitum fit regressio

**47: Quare non determinatur de posteriori sicut de priori**

Cf. ms. F quaestio 71: Quare Aristoteles determinavit hic de priori, non faciendo mentionem de posteriori

**48: Sufficientia modorum prioris**

Cf. ms. F quaestio 72: Quare sunt tot modi prioris

**49: Utrum universale prius est singularibus**

Cf. ms. F quaestio 73: Utrum universale sit prius singulari

**50: Utrum debeant esse plures modi simul**

Cf. ms. F quaestio 74: Utrum simul dicitur quinque modis

**51: Utrum plures debeant esse motus**

Cf. ms. F quaestio 75: Utrum plures debeant esse species motus

**Conspectus siglorum:***In textu:*

<....>	=	addenda censeo
<* * *>	=	lacunam statui
[....]	=	delenda censeo
+....+	=	corrupta esse videntur
/M18ra/	=	incipit prima columna folii 18 recti codicis M

*In apparatu:*

M	=	codex Matritensis BN 1565
F	=	codex Florentinus, B. Laur. S.Crucis plut. XII sin., 3
add.	=	addidit
del.	=	delevit
exp.	=	expunxit
om.	=	omisit
s.l.	=	supra lineam
a.c.	=	ante correcturam
cf.	=	confer(endus/a etc.)
ibid.	=	ibidem

Anonymus Matritensis  
Quaestiones super librum Praedicamentorum

Quaestio 1.

M18va

Consequenter quaeritur circa librum Praedicamentorum. Et primo quaeritur utrum de praedicamentis possit esse scientia.

1. Et videtur quod non, quia omnis scientia est per causam, quia scire est per causam rei cognoscere; sed praedicamenta non habent causas, cum sint prima principia; ergo etc.

2. Item omnis scientia procedit per priora et notiora; sed praedicamentis non sunt aliqua priora nec notiora; ergo etc.

Oppositum per Aristotelem, et etiam per rationem arguitur. Quia de illo quod habet partes et proprietates, et causas et principia per quae illae proprietates de partibus probantur, est scientia; sed praedicamenta ut genera et species habent aliquas proprietates, ut homo risibile et sic de aliis, et habent causas et principia per quae probantur illae proprietates de ipsis, ut definitiones; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod de praedicamentis potest esse scientia. Et est ad eius evidentiam sciendum quod tria requiruntur ad hoc quod de aliquo sit scientia, et si illa tria habuerit, de illo potest esse scientia. Primum est quod sit intelligibile. Secundum est quod proprias habeat proprietates per se inhaerentes illi, et non per accidens, quia de talibus non est scientia, ut habetur primo Posteriorum. Tertium est quod habeat causas per quas illae proprietates probantur de illo. Et si illa tria habuerit, de illo poterit esse scientia; si vero deficit unum, non. Haec autem tria reperiuntur in praedicamentis. Praedicamentum enim est intelligibile, cum sit universale, et universale est obiectum intellectus. Et habent aliquas passiones per se eis inhaerentes, ut homo habet propriam [proprium] passionem per se inhaerentem ei, ut risibile, et sic de aliis. Habent etiam causas ut definitiones per quas tales proprietates et passiones de ipsis probantur. Et ideo de ipsis potest esse scientia.

Et si dicas quod illud bene est verum de illis quae sunt sub generalissimo; de generalissimo autem non videtur habere veritatem, quia generalissimum non habet definitionem nec causam per quam aliquid possit probari:

Dicendum est ad hoc quod duplex est scientia, scilicet propter quid et quia, ut habetur primo Posteriorum. Scientia propter quid procedit per

causam; scientia quia per effectum. Et ideo absque hoc, quod generalissimum non haberet causam, non sequeretur propter hoc quod de ipso non possit esse scientia, saltem quia, per effectum. De eo enim est scientia. Et constat quod de eo non potest esse scientia per causam, sed tamen scientia per effectum. Ergo de praedicamentis potest esse scientia propter quid, quia habent causam saltem effectivam, ut quoniam deus est causa efficiens omnium, et non est in aliquo praedicamento. Non enim est genus, quia tunc praedicaretur de aliis, quod est falsum. Nec etiam species, quia tunc esset compositus, cum species sit composita ex genere et differentia; deus autem omni compositione<sup>1</sup> caret. Nec etiam est individuum, eadem ratione. Et sic de ipsis poterit esse scientia propter quid.

1. Ad argumentum primum, cum dicitur, "Omnis scientia" etc., falsum est; immo est quaedam scientia quia, quae est per effectum. Et etiam minor est falsa, quia praedicamenta habent causam, ut visum est.

2. Ad aliud cum dicitur quod omnis scientia procedit ex notioribus, etc., dicendum quod aliqua dicuntur notior[i]a et priora dupliciter. Uno modo quoad nos, et ex talibus procedit scientia quia. Alio modo dicuntur aliqua priora et notiora simpliciter. Modo quamvis [enim] praedicamenta non habeant aliqua priora in linea praedicamentali, tamen habent aliqua priora quae non sunt in linea praedicamentali, ut visum est.

Vel aliter: Quamvis priora simpliciter non habeant causam, habent tamen priora quoad nos et notiora, ut homo [est] magis est notus nobis quam substantia, quia per talia quae sunt posteriora simpliciter, priora<sup>2</sup> quoad nos, potest esse scientia. Et sic est scientia de praedicamentis.

---

1. compositioni] compositione M.      2. priora] posteriora M.

---

Cf. Petrus Qu. 1, Simon Qu. 1

scire est per causam rei cognoscere] Aristoteles An. Post. I,2 71b10-2; Hamesse 311 (8): Scire est causam rei cognoscere et quoniam illius est causa, et non contingit aliter se habere.

omnis scientia procedit per priora et notiora] Aristoteles An. Post. I,2 71b20-2; Hamesse 312 (12): Necesse est demonstrativam scientiam ex primis, veris, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis.

Aristoteles An. Post. I,6 75a18-9; Hamesse 315 (46): Demonstratio est eorum quae sunt per se et non eorum quae sunt per accidens.

Aristoteles An. Post. I,13 78a22-3; Hamesse 316 (64): Duplex est scire, scilicet quia est et scire propter quid est.

aliqua dicuntur notior[i]a et priora dupliciter] Aristoteles An. Post. I,2 71b33-72a1; Hamesse 312 (15): Dupliciter aliqua sunt priora et notiora, scilicet prius et notius natura et prius et notius quo ad nos.

## Quaestio 2.

M18va

Consequenter quaeritur utrum scientia de praedicamentis sit una.

1. Et videtur quod non, quia scientia est una quae habet unum subiectum; sed ista scientia non habet unum subiectum, immo decem; ergo etc.

2. Item ad hoc quod scientia de praedicamentis sit una, oportet quod habeant aliquid commune; sed ista praedicamenta non habent aliquid commune, ut dicit Porphyrius; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem, qui tradit nobis unam scientiam de ipsis.

Ad hoc dicendum quod scientia de praedicamentis est una, et huius ratio est quia quaelibet accipit nomen et speciem a suo subiecto, ut habetur secundo Posteriorum.

Et intelligendum quod unum dicitur multipliciter. Uno modo unum secundum numerum, /M18vb/ et tale unum non potest esse subiectum in scientia. Aliud est unum secundum speciem, et aliud secundum genus. Et est aliud unum secundum attributionem. Modo quamquam subiectum scientiae non possit esse unum secundum speciem et secundum genus, tamen potest esse unum per attributionem, quod probatur per Aristotelem quinto Metaphysicae, dicit enim ibi quod scientia metaphysica est de<sup>1</sup> omnibus entibus inquantum habent respectum ad unum, quod est ens. Sic ergo de pluribus uni attributis potest esse scientia una. Cum ergo omnia praedicamenta attribuantur uni, ut substantiae, quia quantitas dicitur esse ens quia est dispositio substantiae, et sic de aliis; et sic poterit esse scientia una de omnibus praedicamentis.

1. Ad argumentum patet solutio, quia ista scientia habet unum subiectum, ut substantiam, cui omnia praedicamenta attribuuntur.

2. Ad aliud quod dicit Porphyrius, quod licet praedicamenta non habeant unum, habent tamen unum commune per attributionem, et de tali potest esse scientia una.

---

1. de] in M

---

Cf. Petrus Qu. 2

Porphyrius Isagoge 6.8-11 (ed. Minio-Paluello) 12.2-6: Vel, si omnia quis entia vocet, aequivoce (inquit) nuncupavit, non univoce; si enim unum esset commune omnium genus ens, univoce entia dicerentur, cum autem decem sint prima, communio secundum nomen est solum, non etiam secundum definitionis rationem quae secundum nomen est.

Aristoteles An. Post. II] locum non inveni



Et intelligendum...attributionem] Cf. Aristoteles *Metaph.* V,6 1016b31-2; cf. Iohannes de Dacia *Summa gramatica* (1955): 51.23-31; Simon de Dacia *Quaestiones super secundo minoris voluminis Prisciani* (1963): 92.4-15; Petrus de Alvernia *Quaest. Metaph.* IV, Qu. 11, ed. Monahan (1955): 163

Cf. Aristoteles *Metaph.* IV,2 1003b13-5

### Quaestio 3.

M18vb

Consequenter quaeritur cui conveniat scientia de praedicamentis.

1. Et videtur quod metaphysico, quia cui pertinet considerare ens, et partes entis; sed metaphysico pertinet considerare ens, ut apparet quinto *Metaphysicae*; ergo etc.

2. Item arguitur quod dialectico, quia dialectica est de secundis intentionibus adiunctis primis, ut dicit Avicenna; sed praedicamenta nominant mihi secundam intentionem adiunctam primae; ergo etc.

Dicendum ad hoc quod praedicamenta possunt dupliciter considerari. Uno modo inquantum sunt entia, et sic pertinent ad metaphysicum. Alio modo inquantum sunt res praedicamenti subiectae intentioni et secundum quod sunt res subicibiles vel praedicabiles, et ut hoc<sup>1</sup> superius, istud vero ut inferius. Et sic pertinet considerare de hiis ad dialecticum. Vel inquantum sunt principium motus et quietis, et sic pertinent ad naturale<m>. Et sicut dico de homine, ita dico de quolibet alio existente in praedicamento.

1 & 2. Argumenta procedunt suis viis.

---

1. hoc] haec(?) M

---

Cf. Petrus Qu. 3

Cf. Aristoteles *Metaph.* IV,1 1003a21-2; Hamesse 122 (87): Prima philosophia, id est metaphysica, considerat ens et passiones et principia entis secundum quod ens.

Avicenna *Metaphysica* (1977):10.73-6: Subiectum vero logicae, sicut scisti, sunt intentiones intellectae secundo, quae apponuntur intentionibus intellectis primo, secundum hoc quod per eas pervenitur de cognito ad incognitum...

Consequenter quaeritur circa praedicamenta specialiter. Et primo de antepaedicamentis, et ibi possunt esse multae conclusiones, quae postea habent locum circa librum Elenchorum, et ideo hic dimittantur. Et tantum quaerantur duo sine argumentis.

(4) Primum est quare non faciat mentionem de aliis speciebus nominum, sed tantum de aequivocis, univocis, et denominativis.

(5) Secundo quaeritur quot requirantur ad denominationem proprie.

Ad primum est dicendum quod auctor tantum determinat de illis quae valent ad cognitionem, ita quod de primis antepaedicamentis simul per modum praedicandi receptum in aliis praedicamentis. Praedicamenta autem possunt praedicari secundum quod aliquid commune praedicatur de omnibus, ut ens, et iste modus praedicandi dicitur aequivocum, et ideo ad videndum istum modum praedicandi determinat de aequivocis. Reperitur etiam modus praedicandi in praedicamentis secundum quod superius praedicatur de inferiori univoce, et ideo determinat de univocis, ut appareat modus praedicandi univocus. Et alius secundum quod res unius praedicamenti praedicatur de re alterius, ut homo est albus, et iste est modus praedicandi denominativus; ut et iste modus appareat, determinat de denominativis. Et ideo, cum sint plures modi praedicandi, non determinavit de pluribus speciebus nominum quam de istis, cum tangat modum praedicandi de istis.

Nec etiam est dicendum, ut quidam dicunt, quod ipse comprehendat sub denominativis omnes species nominum, quia non facit mentionem de aliis.

Ad secundum dicendum quod secundum Boethium tria requiruntur ad denominationem. Primum est quod convenient cum principali in principio vocis, et differant in fine. Secundum est quod convenient cum principali, saltem in significato principali. Tertium est quod differant in modis significandi, ita quod principale significet per modum per se stantis, et denominativum per modum dependentis et inhaerentis. Haec autem tria reperiuntur in proprie denominativis, ut fortis et fortitudo, et iustus et iustitia, ut apparet per se. Sed studiosus, quod descendit a virtute, non dicitur proprie denominative, cum non servet illa tria.

---

Qu. 5: Cf. Petrus Qu. 9

quidam dicunt] auctores mihi ignoti

Boethius In Cat. (1860):168A: Tria sunt autem necessaria, ut denominativa vocabula constituentur: prius ut re participet, post ut nomine, postremo ut sit quaedam nominis transfiguratio studiosus...denominative] Cf. Aristoteles Cat. 8 10b6-10

## Quaestio 6

M18vb

Consequenter quaeritur circa illam partem in qua auctor dividit praedicamenta in decem. Et primo quae divisio sit illa: utrum generis in species, vel totius integri in partes suas, vel vocis in significationes, vel aliqua alia divisio per accidens.

1. Et probatur quod nulla, quia omnis divisio aut est per se aut per accidens, ut vult Boethius in libro Divisionum; sed non est per se nec per accidens; ergo etc. Probatio minoris, scilicet quod non sit divisio per se, /M19ra/ quia divisio per se est triplex. (1) Quedam generis in species. Nunc autem non est talis, quia praedicamenta non habent aliquod commune genus. (2) Alia divisio per se est totius integri in suas partes, sed ista divisio non potest esse talis, quia totum integrum non praedicatur de suis partibus. Male enim diceretur 'paries est domus'. Sed illud quod hic dividitur dicitur de suis dividendis; bene enim substantia est incompleta, et sic de aliis. (3) Est et alia divisio per se, vocis in suas significationes, ut canis alius est marinus, alius latrabilis, etc. Nunc autem ista non potest esse talis, quia ista non habent aliquid quod sit aequivocum ad illa, quare etc.

Quod autem non sit divisio per accidens patet quia quadruplex est ad praesens. Una est accidentis in accidentia, ut sanorum aliud album, aliud nigrum. Alia accidentis in subiecta, ut alborum aliud homo, aliud asinus. Tertia subiecti in accidentia, ut hominum alii albi, alii nigri. Quarta est subiecti in subiecta, ut hominum alius Socrates, alius Plato. Nunc autem aliqua istarum non potest esse, quia divisum est partim accidens, et partim <non> est accidens, +et aliquando dividenda+, quae non possunt esse in aliqua istarum divisionum, quod patet de se.

Ad hoc dicendum quod dicere "singulum incomplexorum" etc., idem est dicere ac si diceret: entium aliud est substantia, etc. Et planum est quod non est divisio generis in species, quia ut probat Porphyrius, ens non est genus ad illa decem praedicamenta. Et Aristoteles tertio Metaphysicae hoc idem probat. Nec est divisio integri per rationem ad hoc adductam. Sed est divisio aequivoci in sua aequivocata.

Intelligendum tamen quod duplex est aequivocum. Unum quod aequae et primo notat plura, et tale est proprie aequivocum, sicut canis. Aliud est aequivocum quod notat plura secundum quendam ordinem, scilicet secundum prius et posterius, et tale est analogum. Ratio enim analogi est notare plura secundum prius et posterius, ita quod ens est commune ad ista non primo modo, sed secundo; quia ens primo dicitur de substantia, secundo de aliis per attributionem ad substantiam. Et ita est divisio aequivoci in sua aequivocata, non aequivoci primo modo, sed secundo modo.

1. Ad argumentum patet solutio. Ad aliud quod tu dicis, concedo tibi quod non est divisio per accidens, nec integri in suas partes, nec generis in species; sed est divisio [generis in] vocis in significationes. Et tamen cum probas quod non, quia ista non videntur habere aliquod commune aequivocum, verum est primo modo; et ideo concedo quod non est proprie divisio vocis in significationes primo modo, sed verum est secundo modo, ut visum est.

---

decem] Aristoteles Cat. 4 1b25-7: Eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur singulum aut substantiam significat aut quantitatem aut qualitatem aut ad aliquid aut ubi aut quando aut situm aut habitum aut facere aut pati.

Boethius De Divisione (PL 64) 890D: Quare de omnibus secundum se partitionibus diligentissime pertractum est. Nunc de bis divisionibus dicemus quae per accidens fiunt.

Porphyrius Isagoge 6.8-11 (ed. Minio-Paluello) 12.2-6: Vel, si omnia quis entia vocet, aequivocum (inquit) nuncupavit, non univoce; si enim unum esset commune omnium genus ens, univoce entia dicerentur, cum autem decem sint prima, communio secundum nomen est solum, non etiam secundum definitionis rationem quae secundum nomen est.

Aristoteles Metaph. III,3 998b22; Hamesse 121 (76): Ens et unum non sunt genera.

## Quaestio 7

M19ra

Consequenter quaeritur utrum ista, scilicet substantia, quantitas, et sic de aliis, evacuent totum, ita quod non sint plura nec pauciora.

1. Et videtur quod sint pauciora. Actio et passio faciunt unum praedicamentum, ergo non sunt decem. Probatio antecedentis, quia illa quae unum commune habent faciunt unum genus; sed actio et passio sunt huiusmodi; est enim unus motus, ut habetur primo Physicorum; quare etc.

2. Item videtur quod non sint nisi duo. Quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis et reliquum; sed substantia et accidens sunt opposita, et substantia dicitur uno modo tantum; ergo et accidens debet dici uno modo tantum. Sic ergo non erunt nisi duo praedicamenta.

a. Oppositum videtur quod sint plura per idem medium, ut patet de se, et sic erunt decem et octo.

b. Item praepositiones et coniunctiones non continentur sub aliqua istorum praedicamentorum, ergo videtur quod debeat esse unum sub quo contineantur, et sic erunt plura.

c. Item privationes et negationes non continentur sub aliquo istorum, ut videtur, ergo oportet quod sit aliquid sub quo contineantur, quare erunt plura decem.

Ad hoc dicendum quod non sunt nisi decem praedicamenta. Ad cuius evidentiam sciendum est quod ens non descendit ad ista praedicamenta per differentiam aliquam essentialem constituentem speciem sub ente, sicut ut dicit Aristoteles quinto *Metaphysicae*. Et ratio huius est quia, sicut ipse dicit, differentia per quam constituitur sub aliquo genere aliqua species, debet esse extra rationem sui generis ipsius, ita quod differentia in sui ratione genus non debet accipere, ut rationale in sui ratione non debet accipere animal. Sed omnia quae sunt in sui ratione ens includunt, quia ens non potest habere aliquam differentiam specificam per quam descendat in ista; et ideo non dicuntur species entis. Sed ens descendit in ista per diversos modos praedicandi, ita quod tot sunt praedicamenta, quot sunt modi praedicandi, quia ens descendit in ista per diversos modos praedicandi, ut vult Commentator super quinto *Metaphysicae*. Modi autem praedicandi oriuntur ex modis essendi, ut vult Aristoteles in eodem, quia dicit quod quot modis dicitur unum de altero, tot modis dicitur esse, id est, tot modi sunt diversi essendi in se. Modi autem essendi sunt decem, quorum unus non est alius. Et ideo sunt tantum decem modi praedicandi distincti.

Et hoc apparet sic. Omne quod praedicatur de aliquo aut dicit substantiam subiecti, et est idem subiecto substantialiter; aut sumitur pro aliquo quod est in subiecto, et iste primus modus praedicandi facit praedicamentum substantiae. Si enim dicitur 'Socrates est homo' semper praedicatum est idem essentialiter subiecto.

Sed si sumitur pro aliquo quod est in subiecto, vel sumitur ab aliquo tali quod est in subiecto absolute vel respective. Si absolute, hoc est dupliciter. Aut ipsum praedicatum est extra subiectum, ita quod non idem est subiecto essentialiter, neque sumitur ab aliquo quod inest immediate subiecto; aut sumitur ab aliquo quod immediate inest subiecto.

Sed si hoc sumatur ab aliquo quod sit in subiecto immediate, hoc est dupliciter. Quia aut sumitur a parte materiae, et sic est quantitas. Cum

enim dico 'homo est longus' istud praedicatum inest homini per materiam. Dimensiones enim consequuntur materiam immediate.

Aut a parte formae, et sic est qualitas. Dicendo enim 'homo est albus' istud praedicatum inest homini per formam accidentalem aut per qualitatem, quia qualitas fundatur supra quantitates, ut vult frater Thomas super quinto Metaphysicae.

Si autem praedicatum inest subiecto respective, sic est relatio. Cum enim dico 'homo est pater', istud praedicatum inest subiecto non in se, sed in comparatione ad aliud.

Si autem praedicatum sit extra subiectum, hoc est dupliciter. Quia aut est extra totaliter, aut partim intra et<sup>1</sup> partim extra. Si totaliter sit extra, hoc dupliciter. Quia aut comparatur ad subiectum sicut mensura, aut non sicut mensura. Si sicut non mensura, sic est habitus. Ut cum dico 'homo est calceatus', istud praedicatum sumitur a calceato, quod non est in homine sicut eius mensura.

Si autem est eius mensura, hoc est dupliciter, cum duplex sit mensura extrinseca, ut tempus et locus. Si autem istud praedicatum sumatur a tempore, sic est quando, ut 'homo est hodiernus', istud praedicatum dicitur ab hodie, quod est extra rationem subiecti, et non est in subiecto sed est mensura subiecti.

Sed si sumatur a loco, hoc est dupliciter. Quia in illa mensura aut non concernuntur partes subiecti, aut concernuntur. Si praedicatum sit mensura subiecti non concernendo partes subiecti intrinsecas,<sup>1</sup> sic est ubi, sicut verbi gratia si dicatur 'iste est in domo vel in campo', modo praedicatum non mensurat partes subiecti, sed totum subiectum.

Si autem mensurantur partes, sic est praedicamentum situs vel positio. Cum enim dico 'iste sedet' vel 'iacet' partes mensurantur, et dicitur mensuratio quaedam earum.

Si autem praedicatum sit partim intra subiectum, et partim extra, aut est intra quantum ad suum principium, et sic est actio.

Aut intra subiectum quantum ad suum terminum, et sic est passio. Passio enim quantum ad suum terminum est in subiecto.

Et sic non possunt esse plures modi praedicandi distincti et diversi quam decem. Et sic non erunt plura praedicamenta quam decem.

1. Ad argumenta dicendum quod actio et passio non sunt unum praedicamentum, ut visum est. Et cum tu probas <quod> actio et passio possunt habere aliquid commune, dicendum quod aliqua possunt habere aliquid commune dupliciter. Uno modo sicut subiectum, et tale commune possunt habere omnia praedicamenta; in quolibet enim praedicamento

possunt esse aliqua in uno subiecto, ut homo potest esse albus et longus et agens, et sic de aliis. Illa vero quae habent sic aliquod commune, non oportet quod faciant unum praedicamentum. Et isto modo actio et passio sunt unus motus, quia idem motus est subiectum in /M19va/ utraque. Alio modo habent aliquod commune, quod de ipsis praedicatur in quid. Et quae sic habent commune faciunt unum genus; sic autem non est de actione et passione. Quare non valuit ratio.

2. Ad aliud dicendum "quot modis dicitur unum oppositorum", etc., verum est quantum ad significata, non tamen quantum ad supposita. Et ideo non oportet quod si sit unum praedicamentum substantiae, quod propter hoc sit unum accidens. Neque oportet quod si sint novem accidentis, quod propter hoc sint novem substantiae.

a. Et per hoc apparet ad primum quod in oppositum arguebatur.

b. Ad aliud dicendum quod Aristoteles tantum hic dividit incomplexa quae significant aliquid finite et determinate. Sed praepositiones et coniunctiones non significant aliquid determinate et finite, ut dicit Priscianus primo Minoris. Quare non valet illa ratio.

c. Ad aliud dicendum quod aliqua possunt esse in genere quadrupliciter. Uno modo primo et per se, et hoc modo sunt in praedicamento genus et species. Alio modo per reductionem, sicut principium substantiae in genere substantiae, ut forma aut materia per reductionem ad substantiam compositam. Tertio modo aliquid est in genere quod dictum est denominative ab aliquo, ut ab albedine, quae est in genere, album. Quarto modo per accidens, et sic sunt privationes in eodem genere cum habitibus, ut visio et caecitas, scientia et ignorantia; et ideo non oportet esse aliquod genus sub quo reponantur ista, quia reperiuntur in eodem genere cum suis habitibus.

---

1. intrinsicas] extrinsicas M. 2. et] aut M a.c.

---

Cf. Petrus QQu. 12 & 15, Simon Qu. 12

Cf. Aristoteles Phys. III,3 202b5-22; Hamesse 148 (101): Actio et passio sunt unus motus et in passo sicut in subiecto.

quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis et reliquum] Aristoteles Top. I,15 106b14-5; Hamesse 323 (18): Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum.

Aristoteles Metaph. III,3 998b21-7: Non est autem possibile genus existentium unum esse neque unum neque ens; nam necesse differentias cuiusque generis et esse et unam esse quamlibet, impossibile autem predicari aut species de propriorum generum differentiis aut genus sine suis speciebus; quare si unum genus aut ens, nulla differentia nec unum nec ens erit. Cf. Thomas de Aquino In Metaph. III, lec.8 n.433

Averroës In Metaph. V, com.14 (ed. Ponzalli) 130.72-4: et hoc nomen ens dicitur de omnibus de quibus praedicamenta, quia quod significat hoc nomen ens idem videtur cum eo quod significant dictiones praedicamentorum.

Aristoteles Metaph. V,7 1017a22-5: Secundum se vero esse dicuntur quaecumque significant figuras predicationis; quotiens enim dicitur, totiens esse significat.

Thomas de Aquino In Phys. III, lec.5 n.321 (1955):158: unde et qualitates fundantur super quantitatem, sicut color in superficie, et figura in lineis vel in superficiebus; cf. Thomas de Aquino In Metaph. V, lec.9 n.892 (1950):238

Priscianus Instit. Gram. XVII, 10 (ed. Hertz, GL 2) 144

## Quaestio 8

**M19va**

Consequenter quaeritur circa praedicamentum substantiae. Et primo quaeritur utrum substantia sit genus unum.

1. Et videtur quod non, quia corporale et incorporale non sunt unius generis, ut patet decimo Metaphysicae; sed quaedam substantiae sunt incorporales, ut substantiae superiores, et quaedam corporales, ut inferiores; ergo substantia non est unum genus.

2. Item illa quae sunt unius generis sunt coaequaeva sub illo, ut dicit Porphyrius; sed istae substantiae non sunt coaequaevae, immo quaedam sunt priores sicut superiores, et quaedam posteriores, sicut inferiores; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem, qui tradit nobis substantiam pro uno praedicamento, et qui ponit quod tantum sint decem. Si autem ista essent praedicamenta, tunc essent undecim vel plura, quod est contra ipsum.

1. Ad hoc dicitur quod substantia est unum genus logicum, et non est unum genus naturale. Declaratio huius est quia genus logicum sumitur ab aliqua proprietate communi et apparenti. Haec omnes substantiae superiores et inferiores habent aliquam proprietatem communem, ut per se stare, et esse ens per se; hoc enim competit omnibus substantiis. Et ab ista proprietate sumitur intellectus quidam, qui non est unus secundum speciem, sed est unus secundum genus. Et ideo substantia est unum genus logicum, non tamen est unum genus naturale. Quia ut habetur secundo Metaphysicae, unum genus naturale sumitur ab eis quae eandem habent materiam. Cum ergo substantiae superiores non habeant materiam, cum sint abstractae a motu et materia, sed tantum inferiores, ergo apparet quod substantia non est unum genus naturale.

2. Ad aliud dicendum quod aliqua possunt esse non coaequaeva sub aliquo dupliciter. Uno modo quia illud commune non dicitur de illis se-



cundum unam rationem, immo secundum prius et posterius; et talia quae sic sunt coaequaeva non habent aliquod genus, sic enim diceretur ens de substantia et accidente. Alio modo quando aliquod commune dicitur secundum unam rationem de illis pluribus, sed tamen nobilius participatur illa ratio ab uno quam ab alio; sicut animal dicitur de homine et asino per unam rationem, tamen per prius, id est, nobilius dicitur de homine quam de asino, et talia bene possunt habere unum genus. Et tunc cum dicitur in minori quod substantiae non sunt coaequaevae, verum est secundo modo quod substantiae superiores <non sunt coaequaevae>; tamen per unam rationem dicitur de utraque. Et ideo bene potest esse unum genus ad ista.

Cf. Petrus Qu. 16, Simon Qu. 13

Aristoteles Metaph. X,10 1058b26-9: Quoniam vero contraria sunt diversa specie, sunt et corruptibile et incorruptibile contraria (privatio namque est impotentia determinata), necesse diversum esse genere corruptibile et incorruptibile.

Porphyrus] Cf. Aristoteles Cat. 13 15a4; Hamesse 304 (38): Species simul sunt sub genere. Idem dicit Boethius quod species sunt coaequaevae sub eodem genere.

genus logicum/ genus naturale] Cf. Avicenna Logica (1508):12rbva; Thomas de Aquino In Metaph. X, lec.12 n.2142 (1950):505; Petrus de Alvernia Quaes. Praed. Qu. 16.36

secunda Metaphysicae] Cf. Thomas de Aquino In Metaph. X, lec.12 n.2142 (1950):505: Genus autem, physice loquendo, a materia sumitur. Unde supra dictum est, quod ea quae non communicant in materia, sunt genere diversa. Logice autem loquendo, nihil prohibet quod conveniant in genere, inquantum conveniunt in una communi ratione, vel substantiae, vel qualitatis, vel alicuius huiusmodi.

## Quaestio 9

M19va

Consequenter quaeritur cum triplex sit substantia, scilicet materia, forma, et compositum, quae istarum sit genus generalissimum vel praedicamentum.

1. Et videtur quod forma, quia substantia quae est genus generalissimum praedicatur de omnibus sub se contentis; sed substantia quae est forma praedicatur de omnibus sub se contentis; ergo substantia quae est forma est genus generalissimum.

2. Item substantia quae est hic praedicamentum praedicatur de angelo et intelligentia, quae sunt simplicia; sed compositum non potest uniri; ergo <etc.>

Oppositum patet<sup>1</sup> cum praedicamentum praedicetur de Socrate et Platone, quae sunt res compositae; simplex autem non potest praedicari de

composito; quare substantia quae est genus debet esse composita et non simplex.

Ad hoc dicitur quod substantia quae est genus est compositum, /M19vb/ non materia nec forma. Et hoc declaratur per auctoritatem Boethii qui dicit quod triplex est substantia, scilicet ypostasis, ysiosis, et osya, id est<sup>2</sup> compositum ex materia et forma. Relictis enim hiis, scilicet materia et forma, de medio, id est de composito, agit Aristoteles.

Hoc idem declaratur ratione sic. Illa proprietas quae dicitur de substantia quae est genus generalissimum est subsistere et per se stare; ergo debet esse genus cui conveniat illa proprietas. Sed illa proprietas non competit materiae nec formae. Materia enim de se non substat, nec forma, sed compositum totum. Quare substantia quae est compositum est genus generalissimum.

Intelligendum tamen est quod duplex est compositio. Una est ex materia et forma generali et corporali, et talis compositio reperitur in istis inferioribus quae sunt generalia et corporalia. Alia est compositio quae est ex quiditate et essentia, et talis reperitur in substantiis superioribus; sunt enim compositae ex eo quod recipiunt esse et existentiam,<sup>3</sup> sicut dicit Boethius, ex eo quod est et quo est. [Alio] Modo substantia<sup>4</sup> quae est compositum, quae etiam est genus generalissimum, non est compositio determinata ad aliquam istarum compositionum; immo abstrahit a qualibet istarum, sicut animal abstrahit ab homine et asino, etc. Ita substantia composita compositione abstracta per considerationem ab hac et ab illa est hoc genus generalissimum, et ideo de qualibet istarum potest uniri.

1. Ad primum argumentum dicendum quod praedicamentum non est vere forma, sed habet modum formae in hoc quod inhaeret subiecto, et dat esse subiectum aliququaliter. Sed ex hoc non posset argui quod forma sit genus generalissimum substantiae.

2. Ad aliud patet solutio, quia substantia composita eo modo quo dictum est bene potest praedicari de angelo et intelligentia, cum sint composita ista compositione quae est quiditatis et essentiae,<sup>5</sup> ut visum est. Sed deus caret omni compositione, et est summae simplicitatis; non enim est in praedicamento substantiae, ut patuit. Materia autem et forma sunt in praedicamento substantiae, ut principium substantiae et per reductionem, ut dictum est supra.

1. Oppositum patet] oportet quod M. 2. id est] et M. 3. existentiam] ex essentia(?) M  
4. substantia] est add. et exp. M. 5. quiditatis et essentiae] quiditas et essentia M.

Cf. Martinus Qu. 13, Petrus Qu. 17, Simon Qu. 20  
 triplex sit substantia] Cf. Aristoteles Metaph. VIII,1 1042a26-30; Hamesse 131 (200):  
 Triplex est substantia, scilicet forma, materia, et compositum  
 Boethius In Cat. 184A: Cum autem tres substantiae sint, materia, species, et quae ex utris-  
 que conficitur...  
 Boethius, De hebdomadibus ("Quomodo sit") VII (1973):42.45-6: Omne simplex esse suum et  
 id quod est unum habet.  
 supra] Cf. Qu. 7 supra

## Quaestio 10.

**M19vb**

Consequenter quaeritur de quodam dicto in littera. Dicit enim quod substantia singularis prior est, et substantia universalis posterior.

1. Hoc videtur esse falsum, quia illa substantia est prior altera ad cuius remotionem sequitur destructio alterius, et non econverso; sed ad destructionem substantiae universalis sequitur destructio particularis, et non econverso; quare etc.

Dicendum ad hoc quod prius dicitur dupliciter. Uno modo per suam naturam et perfectionem; alio modo quoad nos. Modo dico quod substantia singularis prior est quoad nos et non universalis, quia est primo cognita, cum cognoscatur per sensum, universalis per intellectum. Et cognitio sensitiva prior est in nobis quam intellectiva. Et ideo substantia singularis prior est quoad nos, et universalis posterior est. Sed bene constat quod substantia universalis prior est: prior est simpliciter quantum ad perfectionem quia incorruptibilis, et singularis corruptibilis; et quia incorruptibile perfectius est corruptibili, ideo etc.

1. Argumenta procedunt viis suis. Aristoteles enim hic loquitur de prioritate quoad nos.

---

Aristoteles Cat. 5 2b39-3a1: Amplius principales substantiae, eo quod aliis omnibus subiacent, propriae substantiae dicuntur; sicut autem primae substantiae ad alia omnia se habent, ita species et genera principalium substantiarum ad reliqua omnia se habent

ad destructionem substantiae universalis sequitur destructio particularis] Aristoteles Cat. 5 2b5-6: Non ergo existentibus substantiis, impossibile est esse aliquid aliorum.

Consequenter quaeritur de hoc quod dicit in littera, quod eorum quae sunt in subiecto, quaedam impossibile est praedicari secundum nomen et rationem, ut accidentia abstracta, ut albedo non praedicatur secundum nomen nec secundum rationem de subiecto; quaedam autem possibile est praedicari secundum nomen et non secundum rationem, ut accidentia in concreto, ut album, nigrum, et sic de aliis.

Et circa hoc quaeruntur duo.

(11) Primum est utrum album possit praedicari de subiecto secundum nomen et rationem, et quodlibet aliud concretum.

1. Et videtur quod non, quia quando aliqua duo idem significant, si unum non potest praedicari de subiecto, nec reliquum; quia terminus<sup>1</sup> illud <quod> significat, praedicat. Sed album et albedo idem significant. Et de significato principali ista est falsa: 'homo est albedo'; quare ista: 'homo est albus'.

Oppositum apparet in littera.

(12) Secundum quaeritur utrum ratio albi praedicetur de subiecto.

2. Et videtur quod sic, quia de quocumque praedicatur definitum, et definitio; sed album praedicatur de subiecto, ut dicit in littera, et ut postea apparebit; quare etc.

3. Item quando aliqua duo idem significant, de quocumque praedicatur unum, et reliquum. Sed album et ratio eius idem significant, quare etc.

(11) Ad primum dicendum quod si albedo est in homine, tunc albedo concrete significat per hoc quod est in subiecto, et tunc vere de ipso praedicatur, et quodlibet aliud de eo in quo est. Et hoc apparet primo ex significatione huius quod dico: 'album'. Album enim significat /M20ra/ albedinem. Cum ergo ista sit vera: 'homo est habens albedinem', retenta<sup>2</sup> prima suppositione, et ista erit vera: 'homo est albus'. Et quod album significet hoc, apparet ex hoc, quod talem intellectum constituit. Et per oppositum, cum albedo hoc non significet, scilicet subiectum, non poterit praedicari de subiecto, cum ipsum non significet. Quare ista falsa erit: 'homo est albedo'.

Hoc etiam apparet per rationem sic: illa propositio est vera in qua praedicatum denotatur inesse subiecto cui inest et eodem modo quo sibi inest. Hoc enim patet ex definitione; verum enim est quando significatur inesse quod est. Albedo est in homine, et inest ei accidentaliter; ergo<sup>3</sup>

propositio denotans hoc erit vera. Sed ista: 'homo est albus', denotat hoc, scilicet, homini inesse albedinem. Quare erit vera per praedicationem denominativam, in qua praedicatum inesse subiecto significatur. Et isto modo praedicatur 'album' <\* \* \*> +quare erit per praedicationem quae quidem in quid+ praedicatum demonstrat inesse subiecto essentialiter; isto autem modo ei non inest; quare est falsa.

1. Ad argumentum cum dicitur "Quando aliqua" etc., ista propositio sic accepta non est vera, immo falsa. Possibile est enim quod aliqua idem significant sub diversis modis significandi, et ideo per diversos modos significandi unum poterit per suum modum significandi verificari de altero, et reliquum non poterit. Unde modi significandi, cum sumantur a modis essendi, bene faciunt ad veritatem et falsitatem propositionis. Sed si acciperetur maior sic: "Quando aliqua duo idem significant sub eodem modo significandi, tunc etc.", tunc minor erit falsa.

Item minor est falsa, quia plus significat album quam albedo, ut prius dictum est. Aristoteles debet sic intelligi quod album per rationem albedinis significat hoc quod significat albedo; sed tunc subiectum significat saltem per accidens, quia per albedinem.

(12) Ad aliud quod arguitur, dicendum est quod duplex est ratio. Est enim ratio quaedam a quo imponitur nomen, ut albus ab albedine, et homo ab humanitate, et universaliter quodlibet nomen impositum a forma. Est autem ratio alia quae est definitio consequens principia essentialia definiti. Modo dico quod si accipiatur ratio albi illud a quo nomen imponitur, tunc non poterit ratio albi praedicari de subiecto, cum albedo quae est albi ratio non possit praedicari de subiecto. Et sic forte intelligit Aristoteles.

Si autem loquamur de definitione, dicendum est quod duplex est definitio: una est vera et per se, non data per additamentum; et [tunc] talis definitio competit substantiae. Et tunc si quaeritur utrum talis definitio albi praedicetur de subiecto, dicendum quod non; immo est impossibile, ut dicit Aristoteles, cum album non habeat talem definitionem nec aliquod aliud accidens.

Est autem alia definitio ex consequenti et per additamentum et continens in se diversas essentias; et talis competit accidentibus, quia accidentia non sunt entia per se sed per subiectum, ita quod subiectum in eorum definitione debet poni. Et tunc planum est quod talis definitio data de albo praedicatur de illo de quo ipsum praedicatur. Unde sicut bene dicitur: 'corpus est album', ita bene dicitur: 'corpus est coloratum disgregativum visus'. Ista autem definitio non est vera definitio, cum ipsa comprehendat

diversas essentias, quia comprehendit in se, per hoc quod dico: 'coloratum', rem coloratam, scilicet subiectum, quod est substantia, et colorem, quae sunt diversae essentiae; sed est definitio data per additamenta.

Et forte Aristoteles loquebatur de definitione vera, vel de essentia a qua nomen imponitur, vel<sup>4</sup> de utroque.

2. Ad argumentum cum dicitur "de quocumque" etc., dicendum quod est falsa. Non enim oportet quod si definitum praedicetur de aliquo, quod definitio praedicetur de illo; quia definitum et definitio possunt habere diversos modos significandi, ita quod unum [ita quod unum] per suum modum significandi poterit praedicari de alio, et alterum non. Quare maior fuit falsa.

3. Ad aliud patet solutio per praecedentem quaestionem.

1. terminus] tunc **M**.    2. retenta] recepta **M**.    3. accidentaliter; ergo] accipitur hoc **M**  
4. vel] et **M**

Cf. Petrus Qu. 18

Aristoteles Cat. 5 2a26-34: Eorum vero quae in subiecto sunt in plurimis quidem neque nomen de subiecto neque ratio praedicabitur, in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet praedicari aliquando de subiecto, rationem vero impossibile est; ut album, cum in subiecto sit corpore, praedicatur de subiecto (dicitur enim corpus album), ratio vero albi numquam de corpore praedicabitur.

sed album praedicatur de subiecto, ut dicit in littera] Ibid.

duplex est definitio] Cf. Thomas de Aquino In Metaph. VII, lect.4 nn.1345-7; Hamesse 129 (164): Definitio accidentium fit per additamentum, scilicet substantiae.

## Quaestio 13

**M20ra**

Consequenter quaeritur de hoc quod ipse dicit in littera: Color est in corpore, ergo in aliquo corpore; et homo est animal, ergo aliquis.

1. Videtur quod non /M20rb/ sequitur: 'homo, ergo aliquis homo'; quia quando aliquid sequitur ad aliud, vel est de modo significandi eius, vel est de suo significato; sed aliquis homo non est de modo significandi hominis, nec de significato; quare etc.

2. Item si ista consequentia esset vera, teneret respectu cuiuslibet praedicati. Quia quod semel sequitur, semper sequitur, sicut: 'homo est species, ergo aliquis homo est species'; quare prima consequentia nulla fuit, cum non teneat in omnibus praedicatis.

Oppositum patet per Aristotelem in littera.

Ad hoc videndum, duo sunt praenotanda. Primum est quod in omni consequentia duo sunt, scilicet antecedens et consequens. Et huius ratio est quia consequentia est quaedam relatio, et exigit duo extrema; extrema consequentiae sunt antecedens et consequens, quia in omni consequentia sunt illa duo. Secundo sciendum est quod quando habitudo consequentis ad antecedens est necessaria respectu alicuius tertii, et illa respectu ipsius habent necessariam habitudinem, tunc necessario ad antecedens sequitur consequens. Unde si illud tertium sit tale quod quando inest antecedenti, necessario inest consequenti, et e converso, talis consequentia est necessaria. Si autem illud tertium sit tale quod non sit necessarium ipsum inesse consequenti \* \* \*.<sup>1</sup>

Tunc dico in proposito quod homo et aliquis homo conveniunt et differunt. Conveniunt in re extra, sed differunt secundum rationem et intellectum, eo quod homo in intellectu suo non includit aliquem hominem. Si enim accipiat talis praedicatum respectu cuius conveniant homo et aliquis homo, ita quod quando uni convenit et alteri, tunc necessario sequitur: 'homo, ergo aliquis homo'; ut sequitur: 'homo currit, ergo aliquis homo currit', cum hoc<sup>2</sup> praedicatum 'currit' non possit verificari de homine nisi in re extra; et a simili est de omnibus talibus praedicatis. Si autem accipiat talis praedicatum in quo differant, non valebit consequentia. Ut si dicatur: 'homo est aliquid in intellectu', +praedicetur suppositum determinatum+; non sequitur: 'ergo aliquis homo'. Quia in illo praedicato, sive respectu illius praedicati, differebant; et antecedens est verum, et consequens est falsum.

1. Ad argumentum primum cum dicitur, "Omne quod sequitur ex aliquo" etc., hoc est falsum. Quod enim consequens<sup>3</sup> significetur per antecedens vel non, hoc accidit consequentiae.<sup>4</sup> Illud enim non est causa, sed causa praecisa est illa habitudo quae dicta est.

2. Ad aliud cum dicitur "consequentia quae est bona tenet respectu cuiuslibet praedicati", falsum est, ut visum est. Et cum tu probas "quod semel sequitur, semper sequitur" etc., illud dupliciter potest intelligi. Uno modo absolute, sic quod quando ex antecedente sequitur consequens, respectu cuiuslibet; +sic intelligendo+ quod falsum est. Alio modo potest sic intelligi, quod cum ex antecedente sequitur consequens respectu alicuius praedicati, semper sequitur eadem habitudine manente illius tertii, verum. Sed hoc autem nihil contra propositum.

1. spat. vac. unius et dimidae linea M.

2. hoc] tamen M.

3. consequens] consequentiam M a.c.

4. accidit consequentiae] aut consequentia M.

Aristoteles Cat. 5 2a37-2b2: ut animal de homine praedicatur, ergo et de aliquo homine animal praedicatur; nam si de nullo aliquorum hominum, nec omnino de homine. Rursus color in corpore est; ergo et in aliquo corpore

### Quaestio 14

M20rb

Consequenter quaeritur de hoc quod dicit Aristoteles in littera, destructis primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere, utrum hoc sit verum.

1. Et videtur quod non, quia destructo corruptibili, non propter hoc destruitur incorruptibile; sed universale est incorruptibile, et singulare inquantum huiusmodi corruptibile; ergo etc.

2. Similiter destructo posteriori <non> destruitur et prius.

Oppositum vult Aristoteles, et ratio sua est quia omnia alia sunt in primis et dicuntur de primis.

Ad hoc dicendum quod natura significata<sup>1</sup> hoc nomine animal, et homo, et <sic> de omnibus speciebus substantiae, habet duplex esse. Unum in re extra, et aliud in intellectu ab anima. Modo dico quod natura humana, et sic de aliis quantum ad esse extra, non habet esse nisi in individu. Homo enim existit in re extra, ut in Socrate, et Platone, et sic de<sup>2</sup> aliis. Supponatur quod omnia singularia sint destructa quantum ad illud esse in re extra. Sed tunc non oportet quod si singularia destruantur, quod propter hoc destruaturs homo quantum ad esse in intellectu. Homo enim potest esse in intellectu, dato quod nullus homo sit individuatus. Et Aristoteles loquebatur primo modo.

1. Ad primum quod arguitur in oppositum, dicendum quod verum<sup>3</sup> est: incorruptibile non destruitur destructo corruptibili; sed cum dicitur homo inquantum universale est incorruptibile, non simpliciter, sed per continuam generationem in singularibus. Homo enim non semper remanet, sed in quo tota natura humana salvatur. Ex quo ergo tu ponis quod omnia sint destructa, tu ponis quod successiva generatio cesset. Et sic non remanet illud per quod homo est incorruptibilis, quare non valet quod si homo destruaturs, hoc posito /M20va/ a simili et in aliis secundis substantiis.

2. Ad aliud dicendum quod destructo posteriori, non destruitur prius; sed destructis omnibus posterioribus, necessario oportet quod destruaturs prius, cum non habeat esse nisi in intellectu. Et ulterius, cum dicitur in minori quod substantia est posterius, falsum est quantum ad esse reali,



immo prius est in re quam universale. Et quantum ad esse istud destruitur universalis substantia, destructis primis.

---

1. significata] significati **M.**    2. de] contingit **M.**    3. verum] vera **M.**

---

Cf. Martinus Qu. 7

Aristoteles Cat. 5 2b5-6: Non ergo existentibus substantiis, impossibile est esse aliquid aliorum.

Aristoteles Cat. 5 2b6-7: Omnia enim alia aut de subiectis eis dicuntur aut in subiectis eis sunt.

## Quaestio 15

**M20va**

Consequenter quaeritur de hoc quod dicit Aristoteles in littera quod commune est omni substantiae non esse <in subiecto>, utrum sit proprium cuiuslibet substantiae.

1. Et videtur quod non, quia forma substantialis est in materia, et est substantia; et esse in materia et esse in subiecto videntur esse idem; quare etc.

2. Item quod ponitur in definitione substantiae non est eius proprietas; sed non esse in subiecto ponitur in definitione substantiae, dicit enim in littera quod prima substantia est quae nec in subiecto est nec de subiecto dicitur; quare etc.

Oppositum patet per Aristotelem.

Ad hoc videndum, primo notandum est quod subiectum et materia differunt, quia materia dicit ens in potentia ad omnes formas substantiales, subiectum autem dicit ens actu quod aptum est suscipere accidentia.

Tunc dico in proposito quod omni substantiae, quaecumque fuerit, convenit non esse in subiecto. Et esse in subiecto convenit tantum accidenti, quod probatur sic. Illud enim est in subiecto quod ad sui esse aliquid requirit actu existens per formam substantialem. Hoc apparet per hoc quod dictum est, "esse in subiecto". Sed accidens ad sui essentiam requirit aliquod ens actu per suam formam substantialem. Hoc ergo est de ratione accidentis, vel saltem ad rationem accidentis contingentis. Substantia autem per oppositum non est in subiecto, cum non adveniat alteri actu existenti per formam substantialem, quod apparet inducendi. Materia enim non omnino est in subiecto, quia non requirit aliquod actu existens, nec etiam forma, nec compositum eadem ratione. Quare omni

substantiae convenit in subiecto non esse, et omni accidenti in subiecto esse convenit, ut dictum est.

1. Ad argumentum primum, cum dicitur forma substantialis est in materia, et forma est substantia, concedo, quia est substantia sicut principium substantiae. Et cum dicis forma est in subiecto, falsum est, ut determinatum est.

2. Ad aliud dico quod duplex est definitio. (1) Quaedam quae constat ex genere et differentiis. Et illud quod in tali definitione ponitur non est proprietas definiti. (2) Alia autem est quaedam notificatio per accidentalia, et quod in tali ponitur bene est proprietas. Et talis definitio hic data est; quare non valet, etc.

---

Aristoteles Cat. 5 3a7: Commune autem est omni substantiae in subiecto non esse.

Aristoteles Cat. 5 2a12-4: Substantia autem est, quae proprie et principaliter et maxime dicitur, quae neque de subiecto dicitur neque in subiecto est

duplex est definitio] Cf. Aristoteles Metaph. VII,4-5 1030a18-1031a14; cf. Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 22.106

## Quaestio 16

M20va

Consequenter quaeritur utrum substantiae sit aliquid contrarium.

1. Et arguitur quod sic, quia in unoquoque genere est una prima contrarietas, ut scribitur in primo Physicorum. Sed substantia est unum genus, ergo ibi est contrarietas. Sed hoc non esset nisi substantiae aliquid esset contrarium, ergo etc.

2. Item contrariorum effectuum contrariae sunt causae; sed substantiae causant<sup>1</sup> diversos effectus et contrarios, ut apparet. Caliditas enim ignis contrariatur frigiditati aquae; quare substantiae erit aliquid contrarium.

3. Item quidquid corrumpitur, per suum contrarium corrumpitur; sed substantia corrumpitur; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem hic et in quinto Metaphysicae.

Ad hoc dixerunt quidam quod substantia est duplex. Quaedam compositum, quaedam forma. Sed substantiae quae est compositum nihil est contrarium; sed substantiae quae est forma bene aliquid est contrarium. Et dicunt quod bene Aristoteles dicit quod substantiae nihil contrarium; et intelligit de substantia quae est compositum, non de substantia quae est forma. Et haec fuit opinio Alexandri et ipsum sequentium.

Sed haec opinio non valet, nec est vera; immo est contra Aristotelem expresse. Aristoteles enim in quinto Metaphysicae probat quod in sub-

stantia non est motus. Et sua ratio est haec, quia omnis motus est a contrario in contrarium; sed substantiae nihil est contrarium; quare etc. Si ergo motus non est in substantiis, ut probat Aristoteles, propter hoc quod ibi non est contrarietas; et si esset contrarietas in formis substantialibus, sufficeret quod in substantiis esset motus. Apparet manifeste ex eius intentione quod in substantia, nec secundum quod est forma, nec secundum quod est compositum, est contrarietas.

Ideo autem dicendum quod in substantiis non est contrarietas completa, quia ad contrarietatem completam tria requiruntur. Primum quod contraria sint<sup>2</sup> sub eodem genere. Secundum est quod habeant esse in eodem susceptibili /M20vb/ successive. Tertium est quod sint maxime distantia. Et hoc probatur sic, ista enim sunt de ratione contrariorum perfecte.

Hoc etiam apparet per rationem eorum. Modo duo possunt bene esse in substantiis; duae enim formae substantiales, ut forma hominis et forma asini, in eodem genere. Item possunt esse in eodem susceptibili, quia in eadem materia successive. Sed tertium ibi non potest reperiri, puta maxima distantia. Et hoc probatur sic, quia maxime distans non dicitur nisi respectu minoris<sup>3</sup> distantis; sed substantia non est minor distantia. Quod probatur sic, quia magis et minus distans in formis substantialibus essent gradus; hoc autem est impossibile; ergo etc. Quod autem impossibile sit esse gradum videtur sic, quia si forma secundum suum gradum adveniat, forma<sup>4</sup> est accidens et non substantia; quia illud quod advenit alicui existenti est accidens, ut visum est prius. Non ergo potest forma substantialis advenire ad alium gradum; immo illud quod post sibi advenit est accidens. Non autem sic est in formis accidentibus; albedo enim potest advenire subiecto secundum diversos gradus; et ideo in substantiis non est possibilis contrarietas completa. Sed si nos loquamur de contrarietate incompleta, ita quod vocemus contraria privationem et habitum, et talis contrarietas potest reperiri in formis substantialibus, quia semper est una forma substantialis significata per modum habitus, ut rationale, et alia per modum privationis, ut irrationale. Ad hanc intentionem loquens Philosophus primo Physicorum dixit quod in quolibet genere est una prima contrarietas, scilicet illa quae est inter privationem et habitum, potentiam et actum, et talis contrarietas est incompleta.

1. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum.

2. Ad secundum cum dicitur "Contrariorum effectuum contrariae sunt causae", verum est quod si effectus sunt contrarii, et causae sunt contrariae. Non tamen eodem modo oportet quod causae et effectus; immo effectus sunt principaliter contrarii contrarietate completa; causae tamen

contrarietate incompleta. Unde credo quod contrariae sunt substantiae contrarietate incompleta.<sup>5</sup>

1. causant] causent **M.** 2. quod contraria sint] quia contraria sunt **F.** 3. minoris] unius **M.**  
4. forma] formae **M.** 5. *Tertia responsio non extat*

Cf. Martinus Qu. 17, Petrus Qu. 19, Simon Qu. 29

Aristoteles Phys. I,6 189a14: in omni genere est unum contrarium  
contrariorum effectuum contrariae sunt causae] Cf. Aristoteles De gen. et cor. II,10 336a30-  
1; Hamesse 170 (42): Contrariorum contrariae sunt causae.

Aristoteles Cat. 5 3b25: Inest autem substantiis et nihil illis esse contrarium. Cf. Aristoteles  
Metaph. V,8

quidam] Cf. Averroës In Phys. V, com. 10 (1562):f.215rF-vG: Sed quaeritur hic quo modo  
dixit in libro peri Geneseos quod ignis est contrarius aquae, et terra aëri. Et Alexander dicit ad  
hoc, quod hoc, quod dixit in libro Praedicamentorum est de substantiis, quae sunt compositae  
ex forma et materia, et in libro de Generatione loquitur de simplicibus, scilicet de formis  
tantum, quae sunt in prima materia.

Alexandri] Ibid.

Cf. Aristoteles Phys. V,2 225b10-1; Hamesse 152 (154): Ad substantiam non fit motus, quia  
substantiae nihil est contrarium. (Petrus de Alvernia refert etiam ad Metaph. V)

Aristoteles Phys. V,2 226b2-3; Hamesse 153 (157): Omnis motus fit a contrario in  
contrarium.

tria requiruntur] Cf. Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 19.31-55

ut visum est prius] Cf. Qu. 15 supra

primo Physicorum] Aristoteles Phys. I,6 189a14: in omni genere est unum contrarium

## Quaestio 17

**M20vb**

Consequenter quaeritur utrum substantia suscipiat magis et minus.

1. Et videtur quod sic, quia dicit auctor Sex principiorum quod  
brutum est animantius arbore; sed animal brutum est substantia; ergo etc.

2. Item quod habet contrarium suscipit magis et minus; sed substantia  
habet contrarium, saltem per suos effectus et proprietates, ut aqua con-  
trariatur igni per frigiditatem quantum ad caliditatem; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem in littera.

Ad hoc dicendum quod substantia non suscipit magis et minus, cuius  
declaratio est quia ad hoc quod aliquid recipiat magis et minus duo  
requiruntur. Unum est quod sit in subiecto. Secundum est quod habeat  
contrarium.

Declaratio primi est quia aliquid non dicitur albius nisi secundum quod  
albedo est in subiecto. Dicitur enim aliquid albius eo quod nigro imper-

mixtius est. Minus autem album dicitur eo quod nigro permixtius, ut dicit auctor Sex principiorum. Sic ergo aliquid dicitur albius secundum quod admiscetur suo contrario magis et minus, sed admisceri suo contrario non debetur formae nec accidentibus nisi secundum quod sunt in subiecto. Albedo enim et nigredo non admiscuntur secundum se, immo sunt essentiae distinctae. Ergo ad hoc quod aliquid suscipiat magis et minus, oportet quod sit in subiecto.

Requiritur etiam quod habeat contrarietatem, quia requiritur quod admisceatur suo contrario. Propter hoc oportet esse in subiecto. Albedo enim et nigredo secundum se acceptae non suscipiunt magis et minus, cum non habeant contrarium.

Modo dico quod substantia non suscipit magis et minus secundum se, cum non habeat contrarium. Non enim potest intendi nec remitti secundum se, sed secundum suas proprietates accidentales, quia oportet quod substantia frangatur ad hoc quod aliquid generetur, ut habetur secundo De generatione; aliter enim non fieret generatio. Sed oportet quod utraque frangatur. Et ideo secundum proprietates istas substantiae recipiunt magis et minus, sed secundum se numquam.

Averroës autem posuit quod substantiae secundum suas formas substantiales susciperent magis et minus, quod est falsum. Et in hoc etiam reprehendit eum Avicenna.

1. Ad argumentum primum dicendum quod 'animantius' non dicit excellentiam in substantia, sed in operationibus; plures enim operationes animae habet brutum quam arbor; sic ergo intelligit auctor.

2. Ad aliud dicendum quod eodem modo quo aliquid habet contrarium, eo modo suscipit magis et minus. Et ideo cum substantia non /M21ra/ habeat contrarium nisi secundum suas proprietates, non suscipiet magis et minus nisi secundum suas proprietates, non tamen secundum se. Hoc bene concedo.

---

Cf. Martinus Qu. 18, Petrus Qu. 20, Simon Qu. 31

Gilbertus Porretanus (attr.) Liber De sex principiis III,29 (1966) 41.10-1: ut animantius quidem brutum arbore est

Aristoteles Cat. 5 3b34: Videtur autem substantia non suscipere magis et minus

Cf. Gilbertus Porretanus (attr.) Liber De sex principiis VIII,90 (1966) 56.16-8; cf. Aristoteles Top. III,5 119a27-8; Hamesse 325 (55): Illud est albius quod negro est impermixtius secundo De generatione] Aristoteles De gen. et cor. I,3 318a234; Hamesse 167 (7): Generatio unius est corruptio alterius...

Averroës] Averroës non tenet hanc opinionem; cf. Averroës In Phys. V com. 10 (1562):f.216rA: quod nos dicimus de nobis, scilicet quod elementa non sunt contraria, nisi secundum qualitates, non secundum formas

Avicenna Sufficientia (1508) f. 25v: Quia forma substantialis non recipit magis et minus. (In mg.: Contra Averroës 3 Coeli com. 67; 5 Physicorum text. 10.)

## Quaestiones 18 & 19

**M21ra**

Consequenter quaeritur circa praedicamentum quantitatis.

(18) Et primo utrum quantitas sit genus.

1. Et videtur quod non, quia nullum genus praedicatur denominative de suis speciebus, ut dicitur secundo Topicorum; sed quantitas sic praedicatur de suis speciebus, unde dicitur: 'linea est quanta'; ergo quantitas non est genus.

2. Item nullum genus praedicatur secundum prius et posterius de suis speciebus; nunc autem quantitas praedicatur secundum prius et posterius de suis speciebus, ut de continua et discreta; quare etc. Probatio minoris, quia quando aliquid praedicatur de causa et causato, per prius praedicatur de causa quam de causato; sed quantitas continua est causa quantitatis discretarum, quia ex divisione continui causatur numerus, ut dicitur tertio Physicorum; ergo per prius praedicatur de quantitate continua quam discreta.

Oppositum patet per Aristotelem.

(19) Secundo quaeritur utrum quantitas sit unum genus.

3. Et videtur quod non, quia in unoquoque genere est invenire unum minimum ad quod reducantur omnia illius generis, ut scribitur in secundo Metaphysicae; sed in quantitate non est <invenire> unum tale, immo duo, ut in discretis unitatem et in continuis punctum; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem qui tradit quantitatem ut unum genus.

Ad ista duo dicendum quod quantitas est genus, et est unum genus. Et declaratio eius est quoniam illud quod praedicatur de pluribus differentibus specie in quid secundum unam rationem est genus. Quia ex quo praedicatur secundum unam rationem, aut illa ratio erit una secundum speciem aut secundum genus; sed non potest esse secundum speciem una, ut de se patet; ergo erit una secundum genus, et sic erit unum. Sed quantitas praedicatur de continua et discreta in quid, ut patet, et secundum unam rationem; quia ratio quantitatis est dividi per se in ea quae sunt in ea, hoc est, in ipsa quantitate, ut dicit Aristoteles in quinto Metaphysicae, et ita de quantitate continua et discreta, ut apparet; ergo de ipsis praedicatur secundum unam rationem.

Item quantitas continua et discreta differunt secundum speciem, quia differentia specifica quantitatis continuae est copulare partes ad unum communem terminum, et differentia discretae non copulare ad unum communem terminum. +Ista sunt differentia specifica+,<sup>1</sup> quare quantitas continua et discreta differunt specie. Et sic quantitas est genus, et est unum genus; quod concedo.

1. Sed cum dicitur in minore quod quantitas praedicatur denominative, dico per interemptionem. Et tu dicis, "Bene dicitur: 'linea est quanta'"; dico quod ista praedicatio est falsa, sicut ista: 'albedo est alba'. Et huius ratio est quoniam compositum non praedicatur de simplici. Cum ergo accidens in concretionem sit compositum cum subiecto, ut quantum, album, et similia; et accidens in abstractione,<sup>2</sup> ut quantitas et albedo, non sunt compositae, cum sint abstractae; sic unum non poterit similiter mensurari de altero. Quare ista est falsa: 'linea est quanta'.

2. Ad aliud cum dicitur quod genus non praedicatur secundum prius et posterius, dicendum quod praedicari secundum prius et posterius est dupliciter. (1) Uno modo de priori et posteriori secundum diversas rationes, quarum una habet attributionem ad primam, sicut ens de substantia et accidente; et praedicari sic secundum prius et posterius impedit genus. (2) Alio modo quod praedicatur secundum unam rationem de pluribus; tamen ista ratio per prius secundum nobilitatem participatur ab uno quam ab alio, ut ratio animalis ab homine quam ab asino. Quod autem est per prius et posterius hoc modo potest esse genus; et sic praedicatur quantitas de speciebus secundum prius et posterius.

3. Ad aliud quod arguitur quod non sit unum genus, quia in unoquoque genere etc., concedo. Et cum dicitur, in quantitate non est unum minimum, dicendum quod sic est, quia est unum minimum quod est mensura omnium aliorum quae sunt in genere quantitatis. +Et voco aliquid esse mensuram intelligendi+ illa quae sunt in genere quantitatis, et tale est unitas. Per unitatem enim mensuratur quantitas discreta, ut numerus, ut numerus quaternarius per quatuor unitates, et sic de aliis. /M21rb/

Item quantitas continua mensuratur in [lignum] longum per unum pedem multoties supra se reflexum, ut viginti pedes; et a simili, unus pes per quinque ulnas. Cum ergo quantitas mensuretur per discretam, et discreta per unitates, apparet de primo ad ultimum quod omnis quantitas mensuratur per unitatem. Et hoc est minimum in genere quantitatis.

1. Ista...specifica] Ista sunt <diversae> differentiae specificaе vel sim. expectes

2. abstractione] concretionem M

Cf. Martinus Qu. 20, Petrus QQu. 24 & 25, Simon Qu. 33

Aristoteles Top. II,2 109b4-6; Hamesse 323 (21): Nullum genus denominative praedicatur de suis speciebus, sed univoce.

Cf. Thomas de Aquino In Phys. III, lec.12 n.394; Hamesse 148 (111): Numerus causatur ex divisione continui.

Aristoteles Metaph. X,1 1052b18-9: Maxime vero metrum esse primum cuiuslibet generis et maxime proprie quantitatis; Hamesse 135 (239): In unoquoque genere est dare aliquod primum et minimum quod fit metrum et mensura omnium illorum quae sunt in illo genere.

genus] Aristoteles Top. I,5 102a31-2; Hamesse 322 (12): Genus est quod praedicatur de pluribus.

Aristoteles Metaph. V,13 1020a7-9: Quantum dicitur quod est divisibile in eis que insunt, quorum utrumque aut singulum unum quid et hoc aptum natum esse.

## Quaestio 20

M21rb

Consequenter quaeritur utrum numerus sit quantitas.

1. Et videtur <quod> non, quia ex non quantita<ti>bus non fit quantitas; sed numerus fit ex unitatibus, quia numerus est multitudo ex unitatibus aggregata, et unitates non sunt quantitates; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem.

Ad hoc dicendum quod numerus est quantitas, quia illud quod participat rationem quantitatis est quantitas; sed numerus participat rationem quantitatis. Ratio enim quantitatis est per se dividi in unitates, ut dictum fuit, quae sunt in ipsa; quare etc.

1. Ad argumentum dicendum quod ex non quantis non fit continuum<sup>1</sup>, quia partes non habet homogeneas, id est, unius naturae; quaelibet enim pars continui est continua. Sed ex non quantis bene fit quantitas discreta, quia discretum non habet partes unius naturae. Cum ergo numerus sit quantitas discreta, bene fieri potest ex non quantis, ut ex unitatibus.

---

1. continuum] quantum M

---

Cf. Petrus Qu. 26, Simon Qu. 37

numerus est multitudo ex unitatibus aggregata] Cf. Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 29.12-3: Numerus autem est multitudo discretorum sibi invicem permanentium; Simon de Faversham Quaest. Praed. Qu. 36 (1957):121.7: numerus ergo est aggregatio discretorum permanentium

unitates non sunt quantitates] Aristoteles Metaph. XIV,1 1088a6: quapropter rationabiliter non est unum numerus; non enim metrum mensurat, sed principium et metrum et unum



ut dictum fuit] Cf. Qu. 19 supra; Aristoteles Metaph. V,13 1020a7-9: Quantum dicitur quod est divisibile in eis que insunt, quorum utrumque aut singulum unum quid et hoc aptum natum esse.

## Quaestio 21

M21rb

Consequenter quaeritur utrum numerus sit unus.

1. Et videtur quod non, quia quod est multum non est unum, cum sint opposita; sed numerus est multus cum sit multitudo, ut visum est; quare non erit unus.

2. Item ex multis actu existentibus non fit unum; sed numerus componitur ex unitatibus quae sunt actu multa, ut videtur; quare etc.

Oppositum patet per Aristotelem.

Ad hoc dicitur quod numerus est unus; cuius ratio est quia illud est unum, et per se et essentialiter, quod habet formam essentialem unam; sed numerus habet hoc; quare erit unum per se et essentialiter.

Si autem quaeratur quae sit illa forma numeri, dicunt quidam quod ultima unitas adveniens numero est forma numeri, et praecedentes unitates sunt materia, sicut antiquitus dicebatur, quod in senario erat formaliter unitas, et quinque praecedentes sunt materia.

Dico ergo quod ultima unitas numeri non est vere forma essentialis numeri. Et ratio huius est quia idem non<sup>1</sup> est forma alicuius et materia, cum materia et forma non coincidunt, ut scribitur secundo Physicorum. Cum ergo unitas sit materia, immo eadem ultimae formae ultimae unitates, et mediae, et primae, et prima unitas, et media sunt materia, et ultima esset forma et non forma. Sed forma essentialis numeri est reflexio unitatum cum simultate, ut semel sex est de sex, et semel decem est forma de decem. Et hoc est quod dicit Aristoteles quinto Metaphysicae, capitulo de quantitate, formam essentialem de sex, cum dicit quod sex non sunt bis tria, ita quod ista praedicatio non est formalis, sed materialis. Sed si dicam sic: "sex est semel sex", ista praedicatio est formalis. Et ita reflexio unitatum cum simultate semel est forma numeri essentialis.

1. Ad illud cum dicis quod illud etc., dicendum quod sicut dicitur primo Physicorum, quod unum dicitur tripliciter: unum secundum genus, unum secundum formam sive speciem, et unum secundum numerum; et tot modis dicitur multum, <sed non> quodlibet opponitur cuilibet, <verbi gratia, unum secundum speciem opponitur> multo secundum speciem, et non multo secundum genus, nec multo secundum numerum. Ideo unum

secundum formam potest se compati<sup>2</sup> cum multo secundum numerum. Tunc ergo cum dicitur quod multum non est unum, verum est illud cui opponitur. Et cum dicitur in minori quod numerus est multitudo, verum est secundum numerum, et secundum unitatem quae dicuntur materia numeri; et unum est per formam; et ista duo bene possunt simul stare.

2. Ad aliud concedo maiorem. Et cum dicitur in minori quod unitates ex quibus est sunt in actu, falsum est. Licet enim unitates in numero sint disinctae per compositionem quae est in continuis, nihilominus illae unitates sunt materia respectu reflexionis unitatum simul, quae est forma in numero, ut dictum est.

---

1. non] natura **M**. 2. se compati] sec pati **M**.

---

Cf. Martinus Qu. 22, Petrus Qu. 27, Simon Qu. 37

ut visum est] Cf. Qu. 20 supra

dicunt quidam] Cf. Averroës In Metaph. VIII, com.10 (1562):218F: nos autem dicimus, quod unum, quod significat definitio una, est unum per substantiam, quae est forma, scilicet per ultimam formam et ultimam differentiam; Albertus Magnus Liber de Praedicamentis III,2 (1890):196b-197a; Thomas de Aquino In Metaph. VIII, lect.3 n.1725

Aristoteles Phys. II,7 198a24-7; cf. Thomas de Aquino In Phys. II, lec.11 n.242: Materia vero non est idem specie nec idem numero cum aliis causis

forma essentialis numeri est reflexio unitatum] Cf. Petrus de Alvernia Quaest. Metaph. V, Qu. 24 (ms. Cantabrigiensis Domus Petri 152 f. 179vb): in numero est aliquid minimum quod per sui replicationem causat numerum, puta unitas

Aristoteles Metaph. V,14 1020b8-9: sex non bis tres sunt sed semel; sex enim semel sex.

primo Physicorum] Cf. Aristoteles Top. I,7 103a7-8; Hamesse 322 (14): Idem dicitur tripliciter: idem genere, idem numero et idem specie; cf. Boethius De trinitate I, 6.15-8: Trium namque rerum vel quotlibet tum genere tum specie tum numero diversitas constat; quotiens enim idem dicitur, totiens diversum etiam praedicatur.

## Quaestio 22

**M21rb**

Consequenter quaeritur circa orationem: utrum oratio sit quantitas.

1. Et videtur quod non. Nullum per se sensibile est quantitas; oratio est huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia omne per se<sup>1</sup> sensibile est qualitas de tertia specie qualitatis; sed qualitas per se non est quantitas; quare nullum per se sensibile est quantitas. Probatio minoris, quia omnis oratio est vox, et vox est obiectum auditus, ut dicit Priscianus; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem et per rationem, quia illud est quantitas per se cui contingit dividi in partes per se, /M21va/ quia haec est

ratio quantitatis; sed oratio dividitur in partes per se, ut dictionem, litteram, et syllabam; quare etc.

Ad hoc dicendum quod oratio consideratur quadrupliciter. Est enim oratio quaedam in scripto, et talis non est quantitas, immo potius substantia, ut encaustum<sup>2</sup> et alia huiusmodi. Et alia in mente; et ista est qualitas. Et alia est in prolatione, et ista etiam est qualitas, quia est obiectum auditus. Est autem quarta oratio, quae est mensura vocis prolatae; et haec est quantitas. Et ratio huius est quia cuilibet mensurabili respondet sua mensura; sed ista oratio quae est in prolatione est quoddam mensurabile; ergo sibi respondet sua mensura. Sed non est alia mensura nisi in quarta, et sic ista oratio habebit rationem mensurae, et ideo erit quantitas; ita quod sicut oratio in prolatione continet dictionem, syllabam, et litteram, ita illa quarta oratio, quae est mensura <vocis prolatae, est mensura> dictionis, et litterae, et syllabae.

Declaratur hoc in simili. Sicut enim mensura motus est tempus, et in motu est duo considerare, scilicet motum continuum et mutatum esse; utrique istorum respondet sua mensura, quia motus continuus mensuratur a tempore, sed mutatum esse mensuratur ab instanti; a simili in oratione quae est in prolatione, cum ibi multa reperiantur, et etiam in oratione quae est mensura vocis prolatae multa reperiuntur.

Et tunc exponunt litteram Aristotelis. Cum Aristoteles probat quod oratio sit quantitas, quia quod habet rationem mensurae est quantitas, et ideo oratio ratione mensurae, ut ipsi dicunt de illa quarta oratione. Et hoc confirmatur per hoc quod Aristoteles subdit, "dico<sup>3</sup> autem orationem cum voce prolata<m>" illam orationem quae est mensura vocis prolatae.

Aliter dicunt alii quod oratio est triplex. Una est in scripto, et talis est substantia. Secunda est in mente, et talis est qualitas. Tertia est ipsa oratio prolata, et talis est quantitas. Et huius ratio est quia quod habet per se dividi in partes est quantitas. Cum ergo ista oratio in prolatione habeat dividi in plures partes quas habet, ut dictionem et alias partes, ut visum est, ipsa erit quantitas. Et haec est opinio Alberti et multorum aliorum <\* \* \*> ita quod ista oratio habet partes in quas dividitur, quae sunt in ea, et ideo est quantitas, quia habet rationem mensurabilis. Oratio enim mensuratur per dictionem, dictio autem per syllabam, et syllaba per litteram; littera autem est minima pars in illa mensura. Et ita quia oratio mensuratur per illa quae sunt in illa oratione, sicut numerus per unitates mensuratur ex quibus componitur; nec est quaerenda mensura extrinseca, sicut ponebat falsa positio.

Item illa oratio habet in se partes discretas et distinctas, et ideo est quantitas; et per hoc differt a tempore, et ab aliis quantitativis continuis.

Item illa oratio habet in se partes sibi invicem succedentes; et propter hoc differt a numero, quia est discretorum permanentium multitudo, oratio vero est discretorum succedentium multitudo.

Sic apparet qualiter oratio sit quantitas, et qualiter differt a numero et a tempore et ab aliis quantitativis. Et tunc exponemus litteram Aristotelis, cum probat quod oratio sit quantitas, quia illud quod habet rationem mensurae mensurabilis est quantitas; sed oratio est aliquid mensurabile <secundum longum> et breve, et hoc est in omni prolatione; ergo etc. Et hoc confirmatur per hoc quod Aristoteles subdit, "dico autem orationem voce prolatam", scilicet, simul orationem prolatam cum voce.

Et si quaeratur causa quare non dicit simpliciter<sup>4</sup>: quia in ipsa oratione est considerare ipsam sonoritatem, et quantum ad hoc ipsa oratio est qualitas, et est obiectum auditus; et est etiam ibi considerare partes discretas et distinctas, et sic est quantitas. Et propter hoc quia illa oratio in prolatione quantum ad omnia alia quae in ipsa erant non erat quantitas, sed quantum ad unum, ut dictum est. Et ideo dicit Aristoteles "cum voce prolatam" et non simpliciter.

1. Ad argumentum, cum dicitur quod nullum per se sensibile est quantitas, verum est per unam rationem. Aliquid enim secundum unam rationem non est qualitas et quantitas, sed secundum diversas rationes; et a simili etiam poterit praedicari secundum diversas rationes in genere qualitatis et quantitatis, ut probatur. Et ista ratio satis est competens et probabilis et melior quam prima, et magis secundum litteram, ut videtur.

1. se] sensum M. 2. encaustum] incaustum M 3. dico] dicit M 4. simpliciter] simplex M

Cf. Martinus Qu. 25, Petrus Qu. 28, Simon Qu. 36

Priscianus Instit. Gram. I,1 (ed. Hertz GL 1) 5.1-2: Philosophi definiunt vocem esse aërem tenuissimum ictum, vel suum sensibile aurium, id est, quod proprie auribus accidit.

Aristoteles Cat. 6 4b24: Est autem discreta quantitas ut numerus et oratio

haec est ratio quantitatis] Cf. Qu. 19 supra

mensura motus est tempus] Aristoteles Phys. IV,12 220b32-221a1; Hamesse 151 (139): Tempus est mensura motus rerum mobilium.

Et tunc exponunt] Alii (1) "rationem mensurae" facere quantitatem, alii (2) "dividi per se" dixerunt. Opinionem (1) tuentur Albertus Magnus Liber de Praedicamentis III,1 (1890):194b et Aegidius Romanus (attr.) (1507):20rb. Opinionem (2) tuentur Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 24.59-62, Simon de Faversham Quaest. Praed. Qu. 33 (1957):114.19, Gualterus Burleus Liber Praedicamentorum (1497):25ra-b, Iohannes Duns Scotus Quaest. Praed. Qu. 17 (1891):482, et Petrus de Bradlay Quaest. Praed. Qu. 4, ed. Synan (1967):303-8

dicunt alii] Cf. Boethius Comm. in Periherm. I,1 (ed. Meiser) 29.17; 30.3; 36.11; 42.15; Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 28.12-3; Petrus de Alvernia Quaest. Metaph. V, Qu. 24; Simon de Faversham Quaest. Praed. Qu. 36.

Albertus Magnus Liber de Praedicamentis III,2 (1890):196b: Quare autem sive propter quid oratio sit in genere quantitatis manifestum est: omne enim cuius quantitas mensurante aliquo et certificante mensuratur, est quantitas et in genere quantitatis. Sonus autem litterae et syllabae sive brevis sit vel longa, mora pronuntiationis mensuratur.

Cf. Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 28.20: oratio est multitudo discretorum sibi invicem succedentium. Ibid. Qu. 29.12-3: Numerus autem est multitudo discretorum sibi invicem permanentium.

Aristoteles Cat. 6 4b34-5: quia etenim quantitas est oratio manifestum est; mensuratur enim syllaba brevis et longa; dico autem cum voce orationem prolatam

## Quaestio 23

M21va

Consequenter quaeritur circa locum: utrum locus differat a superficie.  
/M21vb/

1. Et videtur quod non, quia locus est ultimum corporis, ut scribitur in sexto Physicorum; sed superficies est ultimum corporis; quare superficies et locus sunt idem.

In oppositum est Aristoteles, qui dicit locum esse diversum a superficie.

Ad hoc est dicendum quod locus et superficies sunt unum secundum subiectum et realiter, quia illud idem quod est superficies est locus, et econverso; quare sunt idem realiter, et differunt secundum rationem. Quamquam unum et idem sint in re, tamen per aliam et aliam rationem, quod patet in exemplo: aqua enim est in aëre tamquam in suo subiecto. Aër continet aquam, ut scribitur in quarto Physicorum, ita quod ultimum aëris est locus [et] aqua<e>; et illud est superficies aëris, sed per diversas rationes; quia secundum quod illud ultimum comparatur ad aquam, secundum hoc est locus; secundum autem quod comparatur ad aërem est superficies aëris, cum sit ultimum aëris. Et a simili est in omnibus aliis. Nec hoc est mirum, quia duo praedicamenta, scilicet actio et passio, sunt idem subiecto, quia unius sunt motus; tamen differunt secundum rationem, quia secundum quod ab agente est motus, est actio; secundum autem quod in patiente est passio. Ergo multo fortius duae species unius praedicamenti poterunt esse idem secundum rem, et differre secundum rationem.

1. Ad [secundam] rationem, respondendum per fallaciam consequentis, arguendo ex puris affirmativis in secunda figura. Quamquam ultimum

corporis sit corpus et superficies, tamen hoc erit per diversas rationes, ut prius visum est. Quare non valet.

Cf. Martinus Qu. 34, Petrus Qu. 31

Aristoteles Phys. IV,4 212b21: et ideo terra est in aqua, et aqua in aëre

Aristoteles Cat. 6 4b24-5: Est autem discreta quantitas ut numerus et oratio, continuum vero linea, superficies, corpus; amplius autem praeter haec tempus et locus.

Cf. Aristoteles Phys. IV,5 212b20-1

Cf. Aristoteles Phys. III,3 202b5-22; Hamesse 148 (101): actio et passio sunt unus motus et in passo sicut in subiecto.

## Quaestio 24

**M21vb**

Consequenter quaeritur utrum motus sit quantitas per se.

1. Et videtur quod sic, quia illud quod est divisibile in partes quae sunt in eo est quantitas per se; sed motus est huiusmodi; ergo etc.

2. Item illud cuius partes per se copulantur ad unum communem terminum est quantitas continua; sed partes motus copulantur; ergo etc. Minor patet, quia prior pars motus et posterior copulantur ad motum esse. Ergo motus non est <solum><sup>1</sup> quantitas, sed etiam quantitas continua.

Oppositum patet per Aristotelem in littera, qui dicit quod motus est quantitas per accidens.

Item illud quod erit in quolibet genere non erit in quantitate per se; sed motus est in quolibet genere, quia quot sunt species entis, tot sunt species motus, ut habetur quarto Metaphysicae; quare etc.

Ad hoc dicendum quod motus non est quantitas per se, et huius ratio est quia illud quod habet partes per se [non] est quantitas per se -- et aliter est quantitas per accidens. Sed motus non habet partes per se nisi per magnitudinem super quam fundatur, quod apparet. Dicit enim Aristoteles quarto Physicorum quod prius et posterius non sunt in motu nisi per magnitudinem super quam est. Ergo nec a simili nec aliquae partes erunt in motu nisi per magnitudinem super quam est. Quare non erit quantitas per se, sed solum per accidens.

1. Ad primum dicendum quod eo modo quo aliquid est divisibile, eo modo est quantitas; ita quod si sit divisibile per se, erit quantitas per se; et si per accidens, erit quantitas per accidens. Et tunc cum dicitur in minori quod motus est divisibilis, verum est per accidens, et ideo est quantitas per accidens.

2. Ad aliud dicendum quod eo modo quo aliquid habet partes <copulatas> ad terminem communem est quantitas. Si enim per se, est quantitas per se. Si vero per accidens, erit quantitas per accidens. Et tunc cum dicitur in minori quod partes motus copulantur ad motum esse, verum est per accidens, quia ex hoc quod partes motus terminantur ad terminum communem, scilicet ad motum esse, per accidens.

---

1. solum] fortasse s.l. atramento pallidiore additum

---

Cf. Petrus Qu. 32

Aristoteles Cat. 6 5a39-b3: Proprie autem quantitates hae solae sunt quas diximus, alia vero omnia secundum accidens...<ut> motus <dicitur> multus

Cf. Aristoteles Phys. III,1 201a8-9; Hamesse 148 (97): Tot sunt species motus, quot sunt species entis.

Aristoteles Phys. IV,11 219a22-5: Quoniam autem in magnitudine prius et posterius est, necesse est in motu prius et posterius esse proportionaliter iis quae sunt ibi.

## Quaestio 25

M21vb

Consequenter quaeritur utrum quantitati aliquid sit contrarium.

1. Et videtur quod sic, quia omnis motus est a contrario in contrarium, quia ubi est motus, ibi est contrarium; sed in quantitate est motus; ideo etc.

2. Praeterea perfectum et imperfectum sunt contraria, et completum et incompletum; sed quaedam quantitas est perfecta, quaedam imperfecta; et quaedam completa, quaedam incompleta; ergo etc.

Oppositum patet per Aristotelem in littera.

Ad hoc dicendum quod quantitas potest accipi dupliciter. (1) Uno modo in se, et sic non est aliquid contrarium. Quod patet, de ratione enim contrariorum est maxima distantia, ut visum est; sed in quantitate non potest esse maxima distantia, quia in quantitate discreta, ut /M22ra/ in numero, et licet sit venire ad ultimum indivisibile, ut ad unitatem in descendendo, tamen in ascendendo non est devenire ad maximum, quia non est dare ita maximum, quin sit adhuc devenire ulterius; quare non est ibi maxima distantia. <Nec est in quantitate continua maxima distantia.> Et hoc declaratur quia licet in quantitatibus continuis <sit devenire ad aliquam quantitatem maximam,> non est<sup>1</sup> devenire ad minimam quantitatem indivisibilem, cum quaelibet pars continua sit divisibilis in infinitum. Et ideo non est in quantitate maxima distantia; quare<sup>2</sup> quan-

titati per se nihil est contrarium. (2) Alio modo potest sumi quantitas secundum quod est coniuncta cum aliqua forma naturali, ut cum substantia; et sicut ei inest contrarium per accidens, quia ex hoc quod substantia generatur et corrumpitur, et sic de aliis; ideo quantitati aliquid est contrarium per accidens.

1. Ad primum cum dicitur "ubi est motus" etc., concedo eo modo quo motus est in quantitate, et est ibi contrarium. Cum ergo motus, ut visum est, sit in quantitate per accidens, et contrarium erit ibi per accidens.

2. Ad aliud patet solutio, quod quantitas non dicitur perfecta vel imperfecta nisi secundum quod est substantia, et sic per accidens.

---

1. est] sit **M**. 2. quare] quia **M**

---

Cf. Martinus Qu. 37, Petrus Qu. 33

Aristoteles Phys. V,2 226b2-3; Hamesse 153 (157): Omnis motus fit a contrario in contrarium.

Aristoteles Cat. 6 5b12: Amplius quantitati nihil est contrarium

de ratione enim contrariorum est maxima distantia] Aristoteles Metaph. X,4 1055a4-10; Hamesse 135 (243): Contraria sunt quae sub eodem genere posita sunt, et maxime a se invicem distant... Cf. Metaph. V,10 1018a25-9

in ascendendo non est devenire ad maximum] Cf. Boethius De Institutione Musica II,3 (1867):228.8-10: Multitudo enim a finita inchoans quantitate crescens in infinita progreditur, ut nullus crescendi finis occurrat...'

## Quaestio 26

**M22ra**

Consequenter quaeritur circa capitulum de relatione. Et primo quaeritur utrum relatio sit substantia vel accidens.

1. Et arguitur quod sit substantia, quia illud quod est in aliquo in quo non cadit aliquod accidens est substantia et non accidens; sed relatio cadit in subiecto in quo nullum est accidens; ergo etc. Maior patet. Minor probatur, quia secundum Aristotelem quinto Metaphysicae, in capitulo de potentia, potentia activa relative dicitur [autem] ad potentiam passivam. Cum ergo in deo sit potentia [passiva] activa, ut creare, in ipso erit relatio.

2. Item impossibile est idem esse sibi accidens; sed identitas est relatio, quia illud sibi ipsi refertur; ergo, si esset accidens, illud sibi ipsi esset accidens, quod est impossibile, ut praeassumptum est.

Oppositum patet per Aristotelem. <Ratio> formae substantiali<s> est advenire alicui existenti in potentia quod per ipsum primo fiat ens actu.



Ratio autem formae accidentalis est advenire alicui enti actu, et sic de aliis; et ideo relatio est accidens.

Solutio declaratur ex hoc, quia secundum quod apparet tertio et quarto Metaphysicae differentia est inter substantiam et accidens, quia substantia est ens absolute, accidens vero in respectu et non absolute. Tunc arguo sic: id quod est ens in respectu est accidens, ut declaratum est; sed relatio est ens in respectu, ut de se patet; quare etc.

1. Ad primum argumentum, cum dicitur illud quod cadit etc., concedo. Et cum dicitur in minori quod in deo cadit relatio, dico per interemptionem. Cum probatur, quia in deo est potentia activa, dicendum quod duplex est potentia activa. (1) Est enim quaedam quae est principium transmutandi, et ista requirit aliquam materiam extra, supra quam agat, ut apparet de potentia ignis activa quae est calefacere; et talis potentia activa<sup>1</sup> relative dicitur ad passivam,<sup>2</sup> cum ipsam requirat. Et talis non est in deo, cum deus non agat ex suppositione materiae, immo agit ex nihilo. (2) Est autem alia potentia activa, quae non est transmutativa, sed est quaedam derivatio a primo principio; et talis est in deo, nec talis dicitur in deo relative; et ideo relatio non est in deo.

Et si dicatur, numquid creatio refertur ad creaturas, et creatio est in deo, ergo relatio est in deo; dicendum quod omnia quae deo attribuuntur, ut esse sapientem, misericordem<sup>3</sup> et sic de aliis, non sunt deo accidentia; vel aliter, secundum conceptionem conceptam nostrum, et tale accidens <quod> est secundum conceptionem nostram, et non in re, bene cadit in deo.

2. Ad aliud cum dicitur impossibile est idem sibi ipsi esse accidens, concedo. Et cum tu dicis quod identitas est relatio qua idem sibi ipsi refertur, et hoc est impossibile; dico quod falsum est, immo est bene possibile.

---

1. activa] passiva M. 2. passivam] activam M a.c. 3. misericordem] misericordiae M.

---

Cf. Martinus Qu. 39, Petrus Qu. 48, Simon Qu. 40

Aristoteles Metaph. V,15 1021a14-9; Hamesse 126 (137): Potentia activa et passiva ad invicem se respiciunt...

Cf. Aristoteles Metaph. IV,4 1007a30-b18

## Quaestio 27

M22ra

Consequenter quaeritur utrum relatio sit unum genus.

1. Et videtur quod non, quia si esset unum, aut hoc esset relativum aut relatio; nunc autem non potest esse unum genus, quia relativum dicitur correlative ad suum correlativum, et relatio ad suam relationem. Sed relativa sunt simul natura, ut dicit Aristoteles in littera; quare qua ratione unum istorum erit, et reliquum. Et sic quocumque modo ponatur, erit aliud genus. Quare relatio non est unum genus.

Oppositum patet, /M22rb/ quia si relatio essent duo genera, tunc essent undecim praedicamenta, quod est contra Aristotelem.

Ad hoc dicitur quod relatio est unum genus. Et huius ratio est quia quorumcumque diversorum potest esse una ratio univoca et communis, ut relativorum aequiparantiae et suppositionis. Ergo relatio erit unum genus. Ratio autem ista, quae est communis et univoca ad omnes species relationis, est habitudo entis ad ens. Et hoc potest convenire omnibus relativis. Relativa enim suppositionis habent habitudinem entis ad ens, ut paternitas cum filiatione,<sup>1</sup> et sic de aliis.

Si autem quaeratur quid est genus, utrum relatio vel relativum, dicendum quod non relativum, quia relativum est accidens in concrectione significatum; tale autem non in genere, ut dicitur tertio Topicorum; sed relatio est genus, et relatio in communi abstracta per considerationem ab omnibus relationibus specialibus. Et quod ista sit genus, et non ali<qu>a specialis, apparet ex eo quod genus debet esse commune ad omnia illa quae sub illo continentur. Nunc autem relatio in communi est +ens in communis+ ad omnes relationes, non autem specialis; quare i<s>ta erit genus.

1. Ad argumentum dicendum quod relatio est genus. Et cum dicitur quod relatio dicitur relative ad suum correlationem, verum est: relatio specialis, et ista non est genus; sed relatio in communi non dicitur ad correlationem, et ita poterit esse genus.

---

1. filiatione] suppositione M

---

Cf. Martinus Qu. 41, Petrus Qu. 53, Simon Qu. 41

Aristoteles Cat. 7 7b15: Videtur autem ad aliquid simul esse natura.

Cf. Aristoteles Top. III,1 116a26-8; Hamesse 324 (42): ...accidens in concreto non est in genere praedicamenti per se

## Quaestio 28

M22rb

Consequenter quaeritur utrum relatio sit omnis forma respectiva.

1. Et videtur quod non, quia relatio non est multa, ergo non est respectiva; <nam sicut se habet albedo ad album, sic relatio ad relativum;> sed albedo non est alba; ergo relatio non est relativa, ergo est absoluta.

Dicendum quod aliqua forma potest esse respectiva dupliciter. Uno modo ex habitudine quam habet ad subiectum; et sic omnis forma accidentalis, et omne accidens, ut qualitates omnes, sunt formae respectivae. Alio modo potest dici forma respectiva, quia respicit subiectum et terminum; et sic dicitur relatio forma respectiva, quia non solum respicit subiectum, sed ultra hoc terminum.

Item sciendum quod relatio et omne accidens potest absolvi secundum rationem a subiecto, et intelligi ut aliquid diversum secundum essentiam; et hoc modo assignantur accidentia in abstractione. Possunt enim significari ut unum per accidens facientia cum subiectis, scilicet sub alia ratione; et sub alia sunt in subiectis, et sic significantur per [omnia] nomina concreta. Sed quamvis relatio possit intelligi abstracte a subiecto, non tamen potest abstrahi actu<sup>1</sup> a respectu, et tunc sic significatur per hoc nomen 'relatio'. Sed relativum significatur dupliciter: <uno modo> in concretionem [uno modo] ad subiectum, et etiam<sup>2</sup> in comparisonem ad suum terminum.<sup>3</sup> Sed albedo significat abstracte, et a subiecto, et a termino. Ideo dico quod relatio est forma respectiva ad subiectum, et ab ista potest absolvi.

1. Ad rationem primam dico quod omnis forma respectiva non est [respectiva] relativa, quia respectiva ad subiectum non est relativa. Quia relatio est respectiva in comparisonem ad terminum. Nec est simile de albedine in comparisonem ad album et de relatione in comparisonem ad terminum; album enim in comparisonem ad subiectum significat, et propterea de albedine nullo modo praedicatur. Relatio autem quamvis abstrahat a subiecto in significando concernit tamen terminum, et propter hoc quod significatur in concretionem potest intelligi.

1. actu] actio M; a subiecto add. et exp. M. 2. etiam] est M.

3. suum terminum] subiectum tantum M.

## Quaestio 29

M22rb

Consequenter quaeritur utrum relatio differat in essentia a re supra quam fundatur.

1. Et videtur quod non, quia respectivum et absolutum <non differunt secundum essentiam; sed relatio et res supra quam fundatur differunt sicut respectivum et absolutum,> quia res ut albedo comparata ad album est quaedam similitudo, et est qualitas sumpta per se.

In oppositum est: Causa per se debet differre a suo effectui; ut si mea albedo et tua est causa similitudinis in me et in te, relatio est effectus duarum qualitatium; ergo etc.

Ad hoc dicendum est quod similitudo causata +assumit+ meam et tuam albedinem differ[e]t in essentia <a> mea et tua albedine, ut probat ratio ad hoc facta. Sed est causa aliqua per accidens, ut pater est causa filii per accidens. Et talis causa et effectus sunt idem in essentia, quia habent bene eandem naturam; sed causa per se non est idem cum effectui, ut causa prima, ut sol, diversa a Socrate et ab alio homine. Sed res supra quam fundatur tunc est causa relationis per se, ergo etc.

1. Ad rationem dico quod minor est falsa. Unde aliter definitur,<sup>1</sup> quia albedo mea et tua <sunt> distinctae per essentiam a relatione causata.

---

1. definitur] an dicitur scribendum?

---

Cf. Simon Qu. 42

sol] Cf. Aristoteles Phys. II,2 194b13: Homo generat hominem et sol.

## Quaestio 30

M22rb

Consequenter /M22va/ quaeritur utrum relatio requirat aliquid in suo esse extra subiectum.

1. Et videtur quod non, quia accidens non requirit aliquid extra suum subiectum ad suum esse; sed relatio est accidens; ergo etc.

2. Item si sic, tunc relatio esset accidens extrinsecus adveniens, et requireret aliquid extra suum subiectum, quod est falsum quod ista, quantitas et relatio, sint extrinsecus advenientia.

Oppositum, quia relatio de necessitate requirit aliquid per quod distinguitur ab aliis accidentibus; sed non distinguitur ab aliis nisi per hoc

quod est habere relationem ad aliud quam ad subiectum, scilicet, ad terminum; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod omne accidens ex eo quod accidens requirit subiectum; et ultra hoc sunt quaedam accidentia quae requirunt aliquid extra suum subiectum, sicut actio requirit aliquid factibile in quo sit sicut in subiecto, ut scilicet causam agentem, et passio, et esse in tempore et hodiernum, et esse in loco, et sic de aliis multis. Unde omnia accidentia per hoc quod accidentia requirunt subiectum, unde talia accidentia requirunt diversa subiecta. Unde dico quod relatio ultra suum subiectum requirit habitudinem ad terminum; et per hoc distinguitur ab aliis accidentibus. Et sic dico quod relatio requirit aliquid extra ad suum esse.

1. Ad rationes in oppositum, dico ad primam quod maior est falsa. Unde subiectum comparatur ad accidens in genere causae materialis, sed causa materialis non sufficit alicui in esse suo; immo requiritur agens +et hoc alicui accidenti sufficiat subiectum ad esse accidentis unde tale ut materiam+ requirit aliquid extra subiectum.

2. Ad secundam rationem dicendum quod requirere<sup>1</sup> aliquid extra subiectum <est> vel tamquam causam vel tamquam mensuram; ut aliquid requirere<sup>2</sup> tamquam causam facit accidens esse intrinsecus adveniens, sed requirere aliquid tamquam mensuram facit accidens extrinsecus esse adveniens.

---

1. requirere] recipere M.    2. requirere] recipere M.

---

Cf. Martinus Qu. 44

### Quaestio 31

**M22va**

Consequenter <quaeritur> utrum similitudo qua Socrates est similis Platoni sit una secundum numerum.

1. Et videtur quod sic, quia sicut se habet motus ad mobile et movens, sic se habet similitudo Socratis et Platonis ad Socratem; sed idem motus numero est qui est a movente ad mobile sive motum; ergo etc.

<2. Sicut se habet via ab Athenis ad Thebas et econverso, sic se habet similitudo Socratis ad Platonem; sed una numero est via; ergo etc.>

Oppositum arguitur per hanc rationem <\* \* \*>

<\* \* \*> solvere in quo sit similitudo Socratis ad Platonem, quia ista similitudo duo respicit: Socratem tamquam <subiectum, et Platonem tamquam> id quod est suus terminus. Relatio est in illo ad quod refertur

tamquam in subiecto; similitudo autem Socratis et Platonis est in Socrate tamquam in termino; in Plato autem tamquam in subiecto. Ergo istae duae similitudines habent diversa subiecta. Sed quaecumque accidentia habent diversa subiecta non sunt unum secundum numerum, quia accidentia numerantur secundum subiectum. Ergo similitudo Socratis et Platonis non est una secundum numerum, quod concedendum est.

1. Ad rationes in oppositum, dicendum ad primum quod non est simile de motu in comparatione ad movens et mobile, et de comparatione Socratis ad Platonem et econverso, quia motus qui est a movente ad mobile non recipit utrumque<sup>1</sup> tamquam subiectum, sed unum tamquam agens, scilicet motorem ipsum, et<sup>2</sup> aliud tamquam patiens, scilicet subiectum. Ideo cum habeat unum solum subiectum, est unum in numero; sed relatio respicit duo tamquam subiectum; ideo etc.

2. Ad secundam dico per interemptionem similitudinis positae, inquantum +illa via, quae est istius viae, non est in hac via+<sup>3</sup> nec in illa tamquam in subiecto; et sic non respicit duo subiecta. Quod tamen facit illa similitudo, propter quod non fuit simile.

1. utrumque] aliquid **M.** 2 et] ad **M.** illa...via] Fortasse via quae est inter hanc villam et istam villam non est in hac villa **vel sim. scribendum**

Cf. Martinus Qu. 45, Petrus Qu. 51

via ab Athenis ad Thebas] Cf. Aristoteles Phys. III,3 202b12-3; cf. Albertus Magnus Liber de Praedicamentis IV,10 (1890):241b; Martinus de Dacia Quaest. Praed. Qu. 45 (1961):207.7-9

Aristoteles Top. I,7 103a29-31; Hamesse 322 (8): Accidens facit unum numero cum suo subiecto, unde accidentia numerantur numeratione subiectorum.

## Quaestio 32

**M22va**

Consequenter quaeritur utrum similitudo per quam Plato refertur ad Socratem sit in Socrate tamquam in subiecto, vel in ambobus.

1. Et videtur quod habeat esse in ambobus tamquam in subiecto. Maiorem unitatem habet accidens absolutum quam respectivum; sed accidens absolutum habet esse in diversis subiectis, quia denarius numerus, qui est accidens absolutum, potest esse in diversis subiectis vel in diversis unitatibus; ergo etc.

2. Praeterea similitudo [ad] utrumque denominat, uterque enim est albus; ergo est in illis, quia illud quod denominat aliquod est in illo.

Oppositum patebit in solvendo.

Dicendum quod similitudo qua refertur Socrates ad Platonem est in Socrate tamquam in subiecto, et in Platone tamquam in termino; et sic est in ambobus, sed diversimode. Et declaratur primo quod similitudo Socratis ad Platonem est accidens unum numero et<sup>1</sup> in uno /M22vb/ subiecto in numero. Et ideo albedo per quam Socrates refertur ad Platonem, cum sit una, est in uno subiecto, scilicet in Socrate,<sup>2</sup> tamquam in subiecto, et in Platone<sup>3</sup> tamquam in termino ad quem terminatur ille respectus.

1. Ad primam rationem in oppositum dico quod maior est vera tamquam ad terminum, et non tamquam ad subiectum. Unde utraque habet unitatem quantum ad subiectum. Ad minorem, dico quod est similiter. Unde illae unitates simul sunt totum subiectum, ita quod quaelibet esset unum subiectum; sed color in pomo habet totum pomum pro subiecto.

2. Ad secundum dico quod non eadem similitudine denominatur Socrates similis Platoni <et Plato similis Socrati. Et ad minorem> dicendum quod non omne quod denominat alterum est in illo tamquam in subiecto, ut urina denominatur a sanitate, non tamen est in ea tamquam in subiecto.

---

1. et] est M.    2. Socrate] Platone M.    3. Platone] Socrate M

---

Cf. Simon Qu. 43

### Quaestio 33

**M22vb**

Consequenter quaeritur utrum paternitas et filiatio sint una relatio in specie.

1. Et videtur quod sic, quia relativa aequiparantiae sunt<sup>1</sup> eadem specie; ergo relativa superpositionis et suppositionis debent esse eadem. Antecedens patet, quia similitudo Socratis et Platonis et econverso sunt idem in specie. Similiter paternitas relatio qua pater refertur ad filium, et ista qua filius refertur ad patrem, erit eadem secundum speciem. Et si dicas quod non est simile, quia similitudo Socratis ad Platonem et econverso fundatur supra idem in specie, et non paternitas et filiatio, quia paternitas fundatur supra potentiam paternam -- quod hoc non obstat<sup>2</sup> probatur, quia omnis similitudo omni similitudini est eadem specie; sed<sup>3</sup> quaedam sunt similitudines fundatae supra diversa accidentia in specie, sicut<sup>4</sup> similitudo magni ad magnum, albi ad album, et tamen istae similitudines sunt eadem in specie; et sic videtur quod eadem similitudo in specie sit supra diversa in specie; ergo etc.

Oppositum arguitur. Illa sunt diversa in specie quorum principia per se immediata differunt secundem speciem; sed principia immediata paternitatis et filiationis sunt huiusmodi, ut potentia activa et passiva; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod +modus per se+<sup>5</sup> ad res supra quas fundatur relatio, et per consequens ad relationem fundatam supra has res. Et sic patet quod relatio debet diversificari diversitate eorum supra quae fundantur relationes, ita quod si relationes fundantur supra easdem res in specie, quod erunt [erunt] eadem in specie, et <si> supra diversas, diversae. Ideo dico ad quaestionem quod illae relationes differunt in specie, scilicet, fundatae supra potentiam activam et passivam.

1. Ad rationes in oppositum, dicendum quod non est simile sicut dicebatur, quia relatio equiparantiae fundatur supra eandem qualitatem in specie, et diversam in numero. Ideo sunt una relatio in specie. Et tu probas quod non obstat, quia omnes similitudines sunt eadem in specie; dico quod falsum est, quia istae similitudines differunt secundum speciem, sicut et illae qualitates.

1. sunt] sint **M**.    2. obstat] ostenderet **M**.    3. sed] hoc **M**.    4. sicut] sed **M**.  
5. modus per se] an unum specie sequitur scribendum?

Cf. Martinus Qu. 46

### Quaestio 34

**M22vb**

Consequenter quaeritur utrum dependentia accidentis, sicut albedinis, sit relatio.

1. Et videtur quod sic, quia dependentia accidentis, ut albedinis, non est albedo; ergo debet poni in aliquo genere. Si sic, videtur in relatione.

Oppositum arguitur. Dependentia albedinis ad subiectum non dicit dependentiam ad terminum, nec concluditur, sed ad suum subiectum tantum; sed relationis non est dependere ad subiectum, sed ad terminum; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod dependentia qua dependet accidens ad subiectum [non per suam essentiam] idem est in esse cum accidente; quia si accidens dependet ad subiectum, non per suam essentiam sed per aliquid aliud accidens sibi additum, tunc quaeritur de illo ulterio accidente per quid dependeret ad subiectum. Si diceret quod per suam essentiam, <eadem ratione fuit standum in primo>. Et si diceret quod per aliquid additum, tunc quaerendum est de illo, et sic in infinitum. Ex hiis dico



quod +dependere accidentis+ sit qualitas, et illa dependentia erit qualitas. Sed dependentia accidentis quae est relatio non est ad subiectum, sed ad terminum.

1. Ad rationem dico quod maior est falsa. Unde albedo est eadem in esse cum sua dependentia.

Cf. Martinus Qu. 47

### Quaestio 35

**M22vb**

Consequenter quaeritur circa capitulum de qualitate.

(35a) 1. Et videtur quod definitio qualitatis sit inconueniens, quia omnis bona definitio debet dari per priora; sed ista datur per posteriora, quia quale posterius est qualitate; ergo etc.

2. Item sola species definitur, quia definitio constat ex genere et differentiis, /M23ra/ sed sola species habet genus et differentias; qualitas autem non est species; ergo etc.

3. Praeterea sicut non debemus circulariter demonstrare, sic nec definire; sed definitio qualitatis datur [de] per qualitatem; ergo etc.

(35b) Tunc quaeritur sine argumentis quare in aliis praedicamentis non determinavit de concreto et abstracto, sicut in qualitate determinat de qualitate et quali.

(35a) Ad primum dicendum quod in entibus quaedam sunt priora et quaedam posteriora simpliciter, et quaedam posteriora non simpliciter, sed in suo genere, sicut qualitas in suo genere est prima, et quantitas in suo genere, et sic de aliis. Modo dico quod prima non possit definiri. Unde licet qualitas prior sit quali, quoad nos tamen prius<sup>1</sup> est quale et magis notum. Ideo per quale potuit definiri qualitas.

1. Ad rationes in oppositum. Dicendum ad primam quod maior est vera de vera definitione; haec autem non est talis.

2. Et per hoc solvitur illud secundum quod sola species definitur -- sola definitione vera.

3. Ad tertiam rationem, quod non convenit circulariter demonstrare, +ita quod modo percussus sit similiter, alius autem non. Hoc autem negat Aristoteles. Sed hoc universaliter.+ Similiter dico de definitione, quod tu potes isto modo circulariter definire, ita quod ambae definitiones sive notificationes non erunt eiusdem generis.

(35b) Ad secundum dicendum quod sicut patet in littera, aliter determinat de aliis praedicamentis pro maiori parte quantum ad eorum proprietates; sed relatio et relativum, et abstractum et concretum in relatione, et quantitas a quanto, non differunt quantum ad proprietatum participationem. Si enim conveniret quanto suscipere magis et minus, conveniret quantitati; sed qualitas et qualia in hoc differunt, quia qualia suscipiunt magis et minus; qualitas autem non.

1. prius] prior **M a.c.**

Aristoteles Cat. 8 8b25: Qualitatem vero dico secundum quam quales quidam dicimur.

non debemus circulariter demonstrare] Aristoteles An. post. I,3 73a6-7; Hamesse 313 (33): Non contingit aliquid circulariter demonstrare, nisi in terminis convertibilibus et propriis.

### Quaestio 36

**M23ra**

Consequenter quaeritur utrum forma substantialis sit qualitas.

1. Et videtur quod sic, quia cuicumque convenit definitio, et definitum; sed definitio qualitatis convenit formae substantiali; unde forma substantialis bene est qualitas -- non qualitas quae est accidentalis, sed qualitas quae est substantialis, sive essentialis.

Oppositum arguitur. Principium substantiae non <est> qualitas; sed forma substantialis est principium substantiae; ergo etc.

<Dicendum quod \* \* \* > Unde formarum quaedam est substantialis, quaedam est accidentalis. Et est forma substantialis universaliter per quod aliquid est praesens in actu, et advenit enti in potentia. Sed forma accidentalis est quae advenit alicui enti in actu.

Item dico quod forma substantialis et accidentalis nullam habent naturam univocam, quia unum est substantia et aliud est accidens. Substantiae autem et accidenti nihil est commune univocum. Ideo si aliqua ratio eis conveniat, haec non erit univoca sed per diversas rationes. Unde sicut istae duae formae non possunt contineri sub aliquo univoce, sic non est possibile unam esse alteram; sed tamen bene possibile est uno nomine generali notari. Et etiam quia Aristoteles in Praedicamentis determinat de re praedicamentorum ipsorum, et istae qualitates secundum rem differunt, ideo non fecit mentionem de forma substantiali, sed statim divisit. Quare dicit Aristoteles <\*\*\*>. Dividit enim nomen qualitatis<sup>1</sup> in suas significationes, ut patet infra.

1. Ad rationes in oppositum dico quod definitio qualitatis convenit eis diversimode, et non univoce. Et dico quod forma substantialis praedicatur in quale essenziale, non accidentale. Et sic patet solutio.

---

1. qualitatis] quantitatis M

---

Cf. Martinus Qu. 48, Petrus Qu. 59

### Quaestio 37

M23ra

Consequenter quaeritur utrum habitus et dispositio sint eiusdem speciei qualitatis.

1. Et videtur quod non, quia contraria non possunt habere eandem speciem; habitus et dispositio sunt huius<modi>, quia unum habet rationem completi et aliud incompleti; ergo etc.

Oppositum arguitur, quia completum et incompletum non diversificant speciem.

Ad hoc dicendum quod habitus et dispositio nominant eandem formam, sed diversimode; quia habitus nominat eam secundum quod ipsa habet esse completum, dispositio autem secundum quod habet esse incompletum.

Et notandum quod potentia sortitur speciem ab actu. Et motus similiter sortitur speciem a termino. Nunc autem motus est in eadem specie in qua terminus est illius motus, ut dealbatio est motus ad eam. Sed dispositio habet rationem incompleti, et est motus incompletus; habitus autem completus. Et sic erunt eadem specie.

1. Ad rationes in oppositum dico /M23rb/ quod habitus et dispositio non sunt contraria, nec diversa nominant; immo idem sub alio modo.

---

Cf. Petrus Qu. 60

completum et incompletum non diversificant speciem] Cf. Ignotus Auctor Quaestiones de Anima Qu. 10 (ed. Bazán 1971):418.6-7: Avicenna enim dicit: completum et incompletum non diversificant essentiam. Cf. Petrus de Alvernia Quaest. Praed. Qu. 60.8-9

Consequenter quaeritur utrum accidens<sup>1</sup> in abstractione suscipiat magis et minus.

1. Et videtur quod sic, quia quando aliqua duo idem significant, si unum suscipit magis et minus, et reliquum; sed album et albedo idem significant, et album intenditur et remittitur; ergo etc.

2. Item accidens in abstractione suscipit contrarium, quae est causa suscipiendi magis et minus; ergo accidens in abstracto suscipit magis et minus.

<3. \*\*\*><sup>2</sup>

Oppositum vult Aristoteles et multi alii.

Ad hoc primo notandum quod eorum quae insunt alicui significato in abstractione, quaedam insunt per se et de eius essentia, ut genus; et dicuntur alia inesse alicui causaliter, et hoc modo propria passio alicuius accidentis in abstractione, ut +albedini eius inest genus+. Modo insunt alia per accidens, et quia albedo habet duo<sup>3</sup> accidentia, scilicet<sup>4</sup> <ut sic> intelligatur, <et> etiam quod ipsa insit tali subiecto,<sup>5</sup> et tunc<sup>6</sup> sibi insunt duo. Unum secundum esse quod habet intelligi, ut esse speciem et esse de pluribus praedicabile; et aliud secundum esse accidentale quod ipsa est in subiecto. Quedam sibi conveniunt quae neque causaliter neque per se ei insunt, sicut generari et corrumpi. Sed dico quod suscipere magis et minus non competit albedini primo modo, scilicet per se; quia si sic, tunc non posset intelligi albedo nisi intelligeretur intendi vel remitti. Nec secundo modo, quia tale unum et idem non potest esse in diversis <secundum essentiam, quia risibile non invenitur in diversis secundum essentiam, sed albedo bene invenitur in diversis>. Nec<sup>7</sup> tertio modo, quia ista cum insunt albedini secundum esse intellectum non insunt vere <nisi> quando ipsa intelligi<tur>, ut esse secundum speciem, etc. Si tamen intensio et remissio insunt Socrati et Platoni secundum albedinem absque hoc quod<sup>8</sup> albedo intelligatur, relinquitur quod suscipere magis et minus convenit qualitati per esse quod habet in subiecto, ut albedini etc. Et est albius <quod minus nigro permiscetur> et minus album quod magis nigro permiscetur. Sed qualitas in abstractione nulli permiscetur, nec est aliqua nisi secundum quod ipsa est in subiecto. Ergo intendi et remitti insunt qualitati secundum quod ipsa est in subiecto. Et tamen esse in subiecto non sufficit ad recipere magis et minus, quia qualitates de quarta specie qualitatis insunt subiecto, et tamen non intenduntur nec remittuntur. Sed

ad hoc quod suscipiat magis et minus requiritur quod habeat contrarium. Et sic ista duo, esse in subiecto, et habere contrarium, sunt causa intendendi et remittendi; quia tamen forma substantialis non potest habere contrarium, licet sit in subiecto, ideo non intenditur.

1. Ad primum in oppositum, dico quod maior est vera, si illa eandem naturam significant; si autem diversimode, non oportet. Et quia non sic est in proposito, quia in concretionem et in abstractionem diversimode significant, ergo etc.

2. Ad aliud patet solutio, quia habere unum de duobus quae requiruntur non sufficit ad hoc quod accidens suscipiat magis et minus.

3. Ad aliud dico quod maior est <vera> eodem modo quo ad ipsum est motus. Sed dico quod accidens in abstractionem numquam ista habet, tamen <ipsa> requiruntur per esse<sup>9</sup> et secundum esse in subiecto, <et> sic intenditur.

- 
1. accidens] aliquid **M**. 2. vide **F** quaestio 62. 3. duo] dicta **M**. 4. scilicet] si **M**  
 5. subiecto] formae **M**. 6. tunc] lectio incerta **M**. 7. Nec] ut **M**. 8. quod] quidem **M**  
 9. esse] se **M**

---

Cf. Martinus Qu. 50, Petrus Qu. 62, Simon Qu. 32

Aristoteles Cat. 8 10b25-6: Suscipit autem qualitas et magis et minus; album enim magis et minus alterum altero dicitur, et iustum alterum altero magis et minus.

permiscetur] Cf. Aristoteles Top. III,5 119a27-8; Hamesse 325 (55): Illud est albius quod nigro est impermixtius.

## Quaestio 39

**M23rb.** Cf. **F** qu. 63

Consequenter quaeritur utrum mediis coloribus sit aliquid contrarium.

1. Et videtur quod sic, quia motus est a contrario in contrarium; sed ab extremis coloribus ad medios est motus; ergo etc.

2. Item album et nigrum sunt contraria, ergo fuscum et pallidum ut album et nigrum similiter; dicit enim Aristoteles in quinto Physicorum quod fuscum comparatum ad nigrum est album, et ad album est nigrum; ergo etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera.

Ad hoc dicendum est, sicut dicit Aristoteles decimo Metaphysicae, quod contrarietas est maxima distantia ad se invicem. <Unde de ratione> contrariorum est quod maxime distent. Quod per superabundantiam dici-

tur, uni soli convenit; quia maxime<sup>1</sup> distare sic dicitur, ergo omne contrarium uni soli convenit. Et quod illud quod per superabundantiam dicitur, uni soli conveniat probatur, quia illud [quod] dicitur maxime distare ab aliqua, ut ab albo, quo non potest reperiri aliquid magis distans. Modo ponatur quod sint ali<sup><qu>a</sup> plura quae maxime distant ab albo, ergo sunt aequalia, +ut punctum et aequale et est medium, et dicitur in comparatione ad plus et minus+. Si ergo sint maxime distantia, ipsa erunt aequalia et magis et minus distantia, /M23va/ quod est contra rationem maxime distantium. Sic ergo apparet quod tantum unum uni est contrarium perfectum, et quod tantum unum ab aliquo distet maxime. Sed quoniam medii colores maxime non distant ab extremis, et sic ipsis mediis non est contrarium; et sic patet <quod> proprie sumendo contrarietatem, medii colores non habent contrarium.

<1. Ad rationem primam dico quod media large et improprie sumendo contrarietatem bene habent contrarietatem; et quod sunt contraria large sumendo contrarietatem ratio probat, sed non proprie.>

2. Ad rationem in oppositum, dicendum quod fuscum est color compositus ex albo et nigro. Ideo fuscum in comparatione acceptum ad alterum sumitur tantum pro altero, et sic contrariatur unum alteri large sumendo contraria et non proprie.

---

1. maxime] magis M

---

Aristoteles Cat. 8 10b16: rubeo aut pallido aut huiusmodi coloribus nihil est contrarium qualitatibus existentibus.

motus est a contrario in contrarium] Aristoteles Phys. V,2 226b2-3; Hamesse 153 (157): Omnis motus fit a contrario in contrarium.

Aristoteles Phys. V,1 224b34-5; Hamesse 152 (149): Fuscum comparatum ad album nigrum esse dicitur.

Aristoteles Metaph. X,4 1055a4-10; Hamesse 135 (243): Contraria sunt quae sub eodem genere posita sunt, et maxime a se invicem distant... Cf. Metaph. V,10 1018a25-9

superabundantiam] Cf. Aristoteles Top. V,5 134b23-4; Hamesse 327 (78): Quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit.

## Quaestio 40

M23va. Cf. F qu. 64

Consequenter quaeritur circa actionem et passionem, de quodam dicto Aristotelis in littera; dicit enim quod actio et passio suscipit contrarietatem. Et quaeritur utrum hoc habeat veritatem.

1. Et videtur quod non, quia dicit Aristoteles, capitulo de substantia, quod proprie proprium substantiae est suscipere contraria;<sup>1</sup> sed actio et passio non sunt substantiae; ergo etc.

2. Item illud quod suscipit contraria, oportet quod sit subiectum contrariorum; sed sola substantia est subiectum contrariorum; ergo etc.

Oppositum dicit Philosophus in littera.

Ad hoc dicendum quod aliud est esse subiectum contrariorum, et aliud est esse subiectum contrarietatis. Unde in contrarietate duo sunt attendenda, scilicet, extrema contrarietatis, et ipsa intentio, scilicet, contrarietas. Unde sola substantia est subiectum extremorum contrarietatis, ut dicit Aristoteles; potest enim substantia vicissim ea suscipere, scilicet, subiectum \*\*\*.<sup>2</sup>

Et ad hoc attendens, Philosophus dicit de substantia, scilicet, quod est susceptibilis contrariorum; sed de aliis praedicamentis, ut de qualitate, relatione, actione, et passione, dixit quod recipiunt contrarietatem et non contraria.

1 & 2. Per hoc patet ad argumenta, quia prima duo probant quod actio et passio non sint subiectum contrariorum, quod concessum est; sed sunt [subiecta] contrarietatis susceptiva.

1. contraria] contrarium **M**, ut videtur

2. spat. vac. 12 litterarum et 2 linearum **M**

Aristoteles Cat. 9 11b1-2: Recipit autem facere et pati contrarietates et magis et minus

Aristoteles Cat. 5 4a10-1: Maxime vero substantiae proprium videtur esse quod, cum idem et unum numero sit, contrariorum susceptivum est.

dixit quod recipiunt contrarietatem et non contraria] Cf. Aristoteles Cat. 8 10b13: Inest autem et contrarietas secundum quod quale est; Cat. 7 6b15: Inest autem et contrarietas in relatione

## Quaestio 41

**M23va. Cf. F qu. 65**

Consequenter quaeritur circa postpraedicamenta. Et primo circa oppositionem, cum sit primum postpraedicamentum.

Et quaeritur primo, cuius sit oppositio tamquam subiecti.

1. Et videtur quod entis, quia quandocumque aliquid inest aliquibus pluribus, oportet quod insit eis per aliquod commune; sed non habent aliquod commune nisi ens; ergo erit entis.<sup>1</sup>

2. Oppositum est quia illud quod convenit enti et non enti non est entis; sed contradictio, quae est oppositio quaedam, inest enti et non enti.

Et contradictio est quoddam oppositum; ergo non erit in ente tamquam in subiecto.

Ad hoc dicendum quod duplex est +oppositio+.<sup>2</sup> Quaedam forma rei, +ut enim est alicuius ut unius+. Adest enim. Quaedam relatio, quae non habet esse nisi respectu unius ad alterum. Est autem quaedam relatio quae habet fundari supra res unius <generis>, ut pater supra praedicamentum substantiae tantum,<sup>3</sup> et duplum in quantitate, et sic de aliis. Quaedam autem sunt quae habent fundari supra res diversorum generum, sicut oppositio habet fundari supra res cuiuslibet praedicamenti; in quolibet enim praedicamento habet esse aliquae species oppositionis, ut patet. Oportet ergo quod oppositio sit alicuius communis cuilibet praedicamento; sed non est nisi ens; erit igitur entis, +non entis ad aliquid, ut relati+, cum oppositio sit quaedam forma respectiva.

Item cum oppositio sit quoddam causatum in entibus ab intellectu, erit proprietas<sup>4</sup> entis, secundum quod <ab> anima<sup>5</sup> considera[n]tur.

2. Ad secundum argumentum, cum dicitur quod inest enti et non enti, dicendum quod non ens potest accipi dupliciter. Uno modo simpliciter, nec in re, nec in anima; et <hoc modo> nihil potest esse commune enti et non enti, nec quod esse significat, nec aliquid aliud. Alio modo potest accipi non ens quod non est in re extra, est tamen ab anima consideratum, +et si aliquid sit commune huic non enti unde ens est entis, non ab anima intellectiva.+ Et cum dicitur in minori quod oppositio est commune enti [non autem] <et> non enti, verum est non entis secundo modo, non autem non entis primo modo. Ens enim illud in quo est oppositio, oportet quod sit ab anima consideratum, aliter non attribuetur sibi ali<qu>a opposito, nec ali<qu>a negatio.

1. erit entis] existentis **M**. 2. oppositio] proprietas **scribendum videtur** 3. substantiae tantum] potentiam attamen **M**. 4. proprietas] positio **M**. 5. anima] omnia **M**.

## Quaestio 42

**M23va. Cf. F qu. 66**

Tunc quaeritur quare tantum sunt quattuor species oppositionis.

Et dicendum quod oppositio aut est entis ad ens, aut entis ad non ens, quia non potest esse oppositio non entis ad non ens, quia negatio uno solo modo dicitur, ut habetur primo Posteriorum, capitulo de significatione. Negatio enim negationi non opponitur. Si ergo sit oppositio entis ad ens,



hoc est dupliciter. Aut enim utrumque extremum oppositionis aequaliter est /M23vb/ ens, et sic sunt relative opposita; relativa enim sunt aequaliter entia. Aut unum extremorum verius est ens quam alterum, ut quando unum est privatio alterius et aliud est per modum habitus. Habitus autem verius est ens quam privatio, quia contrariorum unum verius est ens quam reliquum.

Si autem oppositio est entis ad non ens, aut est non ens quod nullo modo est ens extra, et sic sunt contradictorie opposita. Aut est non ens, et habet esse extra, saltem per<sup>1</sup> suum habitum, et sic per accidens. Et sic sunt privative opposita. Differentia enim est inter privationem et negationem, quia negatio requirit solum animam pro subiecto, nec determinat sibi aliquod ens, immo in quolibet habet fieri; sed privatio requirit aliquid pro subiecto, quia est in ente<sup>2</sup> tamquam in subiecto, et habet fieri tantum in subiecto determinato, ut dicitur in littera. Et sic patet quare sunt tot et non plures species oppositionis.

---

1. per] ad **M**.    2. ente] mente **M**.

---

primo Posteriorum] locum non inveni

Aristoteles Cat. 10 12a26-8: Privatio vero et habitus dicitur quidem circa idem aliquid, ut visio et caecitas circa oculum; universaliter autem dicere est in quo nascitur habitus fieri, circa hoc dicitur utrumque eorum ordine.

### Quaestio 43

**M23vb. Cf. F qu. 67**

Consequenter quaeritur utrum oppositio sit in praedicamento.

1. Et videtur quod sic, quia relatio est in praedicamento; sed oppositio est relatio quaedam; ergo etc.

Oppositum arguitur, quia quod reperitur in quolibet praedicamento non reperitur<sup>1</sup> in praedicamento; sed quaelibet oppositio reperitur in quolibet praedicamento, ut dictum est; ergo etc.

Ad hoc dicendum est quod oppositio sumitur dupliciter. Uno modo quantum ad extrema. Alio modo quantum ad istam intentionem quae est oppositio. Si accipiatur quantum ad extrema sua, non est in aliquo praedicamento determinate, sed in quolibet reperitur sicut genus et species, etc. Sed si consideretur quantum ad istam intentionem, omnino est in praedicamento relationis determinate, cum sit forma respectiva; sic et istae intentiones genus <et species> sunt in praedicamento relationis determi-

nate attendendo sic ad ipsas intentiones. Et sic apparet in quo praedicamento sit oppositio.

---

1. reperitur] requiritur **M**

---

ut dictum est] Cf. Qu. 41 supra

### Quaestio 44

**M23vb.** Cf. **F** qu. 68

[Oppositum] Consequenter quaeritur specialiter circa oppositionem,<sup>1</sup> scilicet, circa eius species. Et primo de relative oppositis.

Et quaeritur utrum relativa sint opposita.

1. Et videtur quod non, quia dua opposita non possunt esse actu circa idem; sed pater et filius habent esse actu circa idem, pater respectu unius, filius respectu alterius. Nec potes dicere quod ista sint secundum quid et simpliciter. Relativum est dici ad aliud et in respectu; et ideo aliquid esse patrem respectu alicuius est esse patrem simpliciter, et sic de filio. Quare filius et pater simpliciter possunt esse in actu circa idem; non ergo sunt opposita.

Oppositum dicit Aristoteles in littera; ponit enim relative opposita inter species oppositionis.

Ad hoc dicendum quod relative opposita possunt accipi dupliciter. Uno modo respectu diversorum subiectorum; et hoc modo non sunt opposita. Et ratio huius est quia opposita differunt a disparatis in hoc quod disparata accipiuntur respectu diversorum, sed opposita accipiuntur respectu eiusdem; aliter non erunt opposita secundum rem. Si<sup>2</sup> relative opposita accipiuntur respectu diversorum, poterunt esse disparata, non tamen erunt opposita.

Aliter autem possunt accipi relative opposita secundum quod sunt in eadem substantia; et hoc dupliciter. Uno modo accipiuntur in eadem substantia, secundum tamen modos diversos; et sic non sunt opposita, quia possunt esse simul actu, sicut arguitur. Alio modo accipiuntur in eadem substantia et respectu eiusdem; et sic sunt opposita, quia tunc respectu eiusdem alicui non possunt inesse, sicut idem non potest esse pater et filius; et sic sunt opposita.

---

1. oppositionem] oppositiones **M**.      2. Si] Sed **M**

---

Aristoteles Cat. 10 11b17-9: Dicitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut habitus et privatio, aut ut affirmatio et negatio.

## Quaestio 45

M23vb. Cf. F qu. 69

Consequenter quaeritur circa contraria, utrum ad se invicem referantur.

1. Et videtur quod sic, quia relativa ad se invicem referuntur, quia hoc est quaedam proprietas eorum; sed contraria sunt relativa; ergo etc. Maior patet. Minor declaratur sic. Contrarietas est relatio; ergo contraria <sunt> relativa per locum a coniugatis; et sic patet minor.

Contrarium dicit Aristoteles in littera, quod <sup>+</sup>contraria sint idem, et quod contraria ad se invicem referuntur relativa.<sup>+</sup>

Ad hoc dicendum quod contraria possunt accipi dupliciter. Uno modo quantum <ad res> quae sunt contraria, scilicet, ad illud quod sunt, et sic ad invicem non referuntur, ut vult Aristoteles in littera. Alio modo quantum ad intentionem contrarietatis inquantum contraria, et sic ad se invicem referuntur. <\*\*\*><sup>1</sup> sicut homo non refertur animali, nec econverso; sed si accipiantur in se, sic referuntur inter [inter] se, ut genus speciei. Et sic a simili de contrariis.

1. Ad argumentum cum dicitur contraria sunt relativa, verum est quantum ad intentionem contrarietatis; sed secundum illud quod sunt non sunt relativa. Et ideo modo quo sunt relativa /M24ra/ referuntur; alio modo non.

---

1. **exciderunt haec fere:** Similiter genus et species si quantum ad res considerantur, non ad se invicem referuntur

---

Aristoteles Cat. 10 11b32-5: Quaecumque ergo opposita sunt tamquam ad aliquid, ipsa quae sunt aliorum dicuntur aut quomodocumque ad invicem; illa vero quae ut contraria, ipsa quidem quae sunt nullo modo ad se invicem dicuntur, contraria vero sibi invicem dicuntur

## Quaestio 46

M24ra. Cf. F qu. 70

Consequenter quaeritur de hoc quod dicit Aristoteles quod subiectum privative oppositorum sic se habet quod ab habitu in privationem possibile est devenire, sed econverso non est possibile per naturam. Et quaeritur utrum hoc habeat veritatem.

1. Et videtur quod non, quia possibile est devenire a privatione in habitum, quia nescire est privatio habitus; quare etc.

2. Item tenebrae et lux opponuntur privative, sed a tenebris possibile est devenire ad lucem, quod patet. A nocte enim, quae est tenebrae, devenitur in diem, quae est lux, quoniam<sup>1</sup> dies est aër illuminatus a sole; ergo etc.

Oppositum dicit Aristoteles.

Ad hoc dicendum quod duplex est privatio. (1) Quaedam est quae evenit per defectum principii intrinseci \*\*\*<sup>2</sup> et similia; et a talibus privationibus impossibile est ad habitum pervenire; et de istis loquebatur Aristoteles in littera. (2) Quaedam autem est quae evenit per defectum tantum principii extrinseci; et ab ista possibile est devenire in habitum. Unde non exemplificat de illis quae eveniunt per defectum alicuius principii extrinseci, sicut solis. Et quando sol deficit, tunc aër est tenebrosus. Ignorantia <est> ex defectu principii extrinseci. Et de tali privatione [non] obic*i*ebatur.

---

1. quoniam] qui M. 2. spat. vac. M, exciderunt exempla huiusmodi privationis.

---

Aristoteles Cat. 10 13a31-4: Verum in privatione et habitu impossibile est mutationem in alterutrum fieri; et ab habitu in privationem fit mutatio, a privatione vero in habitum impossibile est

## Quaestio 47

M24ra. Cf. F qu. 71

Consequenter quaeritur circa prius.

Et primo quaeritur quare non determinatur de posteriori sicut de priori.

1. Et videtur quod debeat determinare, quia sicut prius reperitur in quolibet praedicamento, sic et posterius.

Dicendum quod posterius est postpraedicamentum sicut et prius, et determinat Aristoteles de eo in hoc quod de priori determinat, quia prius et posterius relative opponuntur. Sed quot modis dicitur unum oppositorum tot modis et reliquum. Et ideo in ponendo modos prioris, satis ponit modos posterioris.

---

Aristoteles Cat. 12

quot modis dicitur] Aristoteles Top. I, 15 106b14-5; Hamesse 323 (18): Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum.

## Quaestio 48

M24ra. Cf. F qu. 72

Sufficientia autem modorum prioris sic accipitur. Illud quod est prius altero aut est prius eo quod secundum cognitionem dicitur, aut secundum rem. Si secundum cognitionem, sic est tertius modus, secundum quod aliquid dicitur esse prius altero secundum ordinem cognitionis. Si secundum rem, hoc est dupliciter. Aut secundum esse rei, aut secundum aliquid consequens ad esse rei. Si autem dicatur secundum aliquid quod consequitur ad esse rei, sic est quartus modus, secundum quem aliquid est prius altero secundum nobilitatem, quod sequitur ad esse rei. Si dicatur quidem prius secundum esse rei, hoc est dupliciter. Aut secundum naturam, aut secundum tempus. Si secundum tempus, sic est primus modus, secundum quem aliquid est prius altero prout est antiquius in tempore. Si secundum naturam, hoc est dupliciter. Aut est convertibile cum quo prius est, et sic est quintus modus, secundum quem aliquid dicitur prius altero quando est convertibile cum eo, et est causa eius. Vel illud non est convertibile, et sic est secundus modus, secundum quem aliquid dicitur prius altero secundum subsistendi consequentiam. Et sic patet sufficientia istorum.

Cf. Aristoteles Cat. 12 14b22: Ideoque secundum quinque modos prius alterum altero dicitur.

## Quaestio 49

M24ra. Cf. F qu. 73

Consequenter quia dicit Aristoteles quod universale prius est singularibus, eo quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, quaeritur utrum hoc sit verum.

1. Et videtur quod non, secundum Aristotelem in prooemio De anima, ubi dicit quod universale aut posterius est aut nihil est; sed non est dicendum quod nihil est; ergo posterius est.

2. Praeterea illud quod accipitur ab aliquo, posterius est illo a quo accipitur; universale accipitur a singularibus; ergo etc.

Oppositum arguitur quoniam illud quo destructo destruitur reliquum et non econverso, illud est prius illo; sed universali destructo destruitur singulare et non econverso; ergo etc.

Dicendum quod in universali duo sunt, scilicet res subiecta intentioni, et ipsa intentio. Unde dico quod [res subiecta] intentio[ni] posterior est particulari. Nam ipsa nihil aliud est quam [ad modum] cognitio particula-

ris; cognitio autem rei posterior est ipsa re. Et hoc est quod dicit in prooemio De anima, quod universale nihil est aut posterius est, intelligit de universalitate.

Si autem loquamur de re ipsa subiecta intentioni, tu potes quaerere utrum sit prior particulari secundam naturam aut secundum cognitionem. Si quaeratur utrum sit prior secundum naturam, dic quod universale non est prius particulari indefinite accipiendo et subdisiunctive; immo est simul cum eo, ut homo et aliquis homo indeterminate sumptus. Nihilominus tamen prius est universale secundum naturam particulari sumpto determinate, sicut homo hoc<sup>1</sup> homine.

Si autem quaeras utrum universale /M24rb/ sit prius particulari cognitione, dico quod particulare est prius, quia particulare prius a nobis cognoscitur per sensum, illud autem per intellectum; et cognitio sensitiva prior est intellectiva, et eodem modo quod cognoscitur apud intellectum.

1 & 2. Rationes procedunt suis viis.

---

1. hoc] in **M**

---

dicit Aristoteles] Cf. Aristoteles Cat. 12 14a30-1: Secundo autem quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, ut unus duobus prior est

Aristoteles De anima I,1 402b7-8; Hamesse 174 (6): Animal universale, aut nihil est, aut posterius est...

## Quaestio 50

**M24rb. Cf. F qu. 74**

Consequenter quaeritur circa simul.

1. Et videtur primo quod debeant esse plures modi simul, quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum; sed simul et prius opponuntur, et prius dicitur quinque modis; ergo etc.

Ad hoc dicendum quod non oportet quod quinque sint modi simul, sed sufficit quod sint tres; et isti tres sufficienter respondent modis prioris.

Primus enim modus simul est secundum quem aliqua simul dicuntur<sup>1</sup> ad invicem esse, sicut simul tempore, <et> respondet primo modo prioris. Sed secundus, secundum quem aliqua duo simul secundum naturam sunt, respondet modo secundo prioris, secundum quem aliquid est prius secundum subsistendi consequentiam. Tertius autem modus simul respondet quinto modo prioris.

Aliis autem modis prioris non possunt respondere aliqui modi simul, nam tertius modus prioris est quando aliquid est prius alio secundum ordinem cognitionis; nunc autem ista duo non possunt simul cognosci ab intellectu, nam intellectus non potest simul apprehendere nisi unum. Et ita hoc modo tertio prioris non respondet aliquis modus simultatis.

Item nec quartus, nam quartus modus prioris est quando aliquid est prius altero eo quod magis dilectum; sed ista duo non possunt aequaliter esse dilecta simul.

Ideo huic sexto modo prioris non respondet aliquis modus simultatis.

1. Per hoc apparet quid sit dicendum ad rationem. Cum dicitur quot modis dicitur unum oppositorum et reliquum, verum est in significatione qua alteri opponitur.

---

1. aliqua simul dicuntur] aliquid simul dicitur M

---

Aristoteles Top. I, 15 106b14-5; Hamesse 323 (18): Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum.

## Quaestio 51

**M24rb. Cf. F qu. 75**

Consequenter quaeritur circa motum.

1. Et videtur quod plures debeant esse motus, quia secundum Aristotelem quarto Metaphysicae, quot sunt species entis, tot sunt species motus; sed entis sunt decem species; quare etc.

Ad hoc dicendum quod motus potest accipi dupliciter. Uno modo large, secundum quod dicitur entis rei in esse vel per se vel per accidens, et tunc convertitur cum ente; et tot sunt motus species, quot et entis; et hoc modo intelligit Aristoteles. Alio modo potest accipi proprie, secundum quod significat extraneum rei in esse per se solum, et sic accipitur hic, et hoc modo non convertitur cum ente. Et isto modo reperitur tantum in quattuor praedicamentis, in substantia, quantitate, qualitate, et ubi. In substantia est duplex. Unus est per quem res exit a non esse in esse, <et> sic est generatio; vel econverso, et sic est corruptio. In quantitate autem duplex. Unus est augmentum; alius diminutio. In qualitate autem unus tantum reperitur, sicut alteratio, secundum quem aliquid alteratur ab una qualitate in aliam. In ubi similiter unus, sicut mutatio secundum locum, et ista mutatio sex modis potest fieri, vel sursum vel deorsum vel ante vel retro vel dextrorsum vel sinistrorsum.

Sic ergo apparet quod tantum sex sunt species motus.

***Expliciunt quaestiones super Porphyrio et Praedicamentis compilate a magistro Petro de Alvernia.<sup>1</sup>***

1. Alvernia] erasum habet M.

Cf. Aristoteles Phys. III,1 201a8-9; Hamesse 148 (97): Tot sunt species motus, quot sunt species entis.

Cf. Aristoteles Phys. V,1 225b5-9; Hamesse 152 (155): Motus tantum est in tribus praedicamentis quae sunt quantitas, qualitas et ubi.

**VERSIO FLORENTINA. F: 6vb-7va**

**F6vb**

Nota quod habitus <est> in prima specie qualitatis secundum quod est qualitas difficile mobilis; et est praedicamentum secundum quod est adjacentia eorum quae circa corpus sunt, ut dicitur in Sex principiis.

Gilbertus Porretanus (attr.) Liber De sex principiis VII,69 (1966) 51.11-3; Hamesse 307 (22): Habitus est corporum et eorum quae circa corpus sunt adjacentia, id est habitus, est dispositio derelicta a re habente ex adjacentia rei habitae ad habens.

**F quaestio 62**

**F6vb**

Consequenter quaeritur utrum accidens in abstractione suscipiat magis et minus, ut albedo.

1. Et videtur quod sic, quia si aliqua duo significant idem, si unum suscipiat magis et minus, et alterum; sed album /F7ra/ et albedo significant idem, et album intenditur et remittitur; ergo etc.

2. Item accidens in abstractione habet contrarium; sed habere contrarium est causa suscipiendi magis et minus; ergo etc.

3. Item omne illud ad quod est motus potest intendi et remitti, et habere magis et minus sub gradu completo; sed ad albedinem et accidens in abstractione est motus; ergo etc.

Oppositum vult Aristoteles et multi alii.



Ad hoc primo notandum quod eorum quae insunt alicui significato in abstractione, quaedam insunt ei per se et sunt de illius esse natura, ut color albedinis est genus. Et dicuntur alia inesse alicui causaliter, et hoc modo propria passio illius accidentis in abstractione, ut <sup>+</sup>albedini inest<sup>+</sup>. Alio modo alia insunt ei per accidens, et quia albedo habet duo accidentia, scilicet ut ipsa sic intelligatur, et etiam quod ipsa sit in tali subiecto, ideo ei insunt sic duo. Secundum unum esse quod habet in intellectu, ut esse speciei et esse praedicabile de pluribus; et secundum esse accidentale quod<sup>1</sup> habet in substantia. Quedam sibi conveniunt quae<sup>2</sup> neque causaliter neque per se ei insunt, ut generari et corrumpi. Sed dico quod suscipere magis et minus non convenit albedini primo modo et per se; quia si sic, tunc non posset intelligi albedo quin intelligeretur intendi et remitti. Nec secundo modo, quia tale unum et idem non potest esse in diversis secundum essentiam, quia risibile non invenitur in diversis secundum essentiam,<sup>3</sup> sed<sup>4</sup> albedo bene invenitur in diversis. Nec est tertio modo, quia ista <quae> insunt albedini secundum esse intellectu non insunt ei vere <nisi> quando ipsa intelligitur, ut esse secundum speciem. Si tamen remissio et intensio insunt Socrati et Platoni secundum albedinem absque hoc quod intelligatur albedo, relinquitur quod suscipere magis et minus conveniat qualitati per esse quod ipsa habet in subiecto, sicut albedini et aliis. Cuius declaratio est per r<ation>em albi quia magis album e<s>t <quod> minus nigro permiscetur, et minus album quod magis nigro permiscetur. Sed qualitas in abstractione nulli permiscetur, nec est aliqua<sup>5</sup> nisi secundum quod ipsa est in subiecto. Ergo intendi et remitti insunt qualitati secundum quod ipsa est in subiecto. Et tamen esse in subiecto non sufficit ad recipere magis et minus, quia qualitates de <quarta> specie qualitatis insunt subiecto, et tamen non intenduntur nec remittuntur. Sed ad hoc tamen requiritur quod ipsa habeat contrarium cum quo permisceatur magis et minus, secundum quod ipsa suscipit magis et minus. Et sic ista duo, scilicet esse in subiecto, et habere contrarium, sunt causa suscipiendi magis et minus; quia forma substantialis non habet contrarium, licet sit in subiecto, nec intenditur et remittitur.

1. Ad primum in oppositum, dicendum quod maior est vera, si illa eodem modo significant illam naturam; si autem diversimode, non oportet. Quia illa non sic est in proposito, quia in concretione et in abstractione diversimode significant, ideo etc.

2. Ad aliud patet solutio, quia habere unum de duobus quae requiruntur non sufficit ad hoc quod accidens intendatur et remittatur, ergo etc.

3. Ad aliud dico quod maior est vera, eo modo quo ad ipsum est motus. Sed dico quod accidens in abstractione numquam ista requirit, sed ista tamen requiruntur per esse et secundum esse in subiecto; et sic intenditur, quare etc.

- 
1. quod] quia F.    2. quae] quod F.    3. essentiam] quod falsum est add. in mg. F.  
 4. sed] quia F.    5. est aliqua] cum aliquo F.

---

Cf. Martinus Qu. 50, Petrus Qu. 62, Simon Qu. 32

Aristoteles Cat. 8 10b25-6: Suscipit autem qualitas et magis et minus; album enim magis et minus alterum altero dicitur, et iustum alterum magis et minus.

permiscetur] Cf. Aristoteles Top. III,5 119a27-8; Hamesse 325 (55): Illud est albius quod nigro est impermixtius.

### F quaestio 63

**F7ra**

Consequenter quaeritur utrum mediis coloribus sit aliquid contrarium.

1. Et videtur quod sic, quia omnis motus est a contrario ad contrarium; sed ab extremis coloribus fit motus ad medios; ergo etc.

2. Item album et nigrum sunt contraria, ergo fuscum et nigrum sunt contraria similiter; quia dicit Aristoteles decimo Physicorum quod fuscum comparatum ad nigrum est album, et album est contrarium ad nigrum; ergo etc.

Oppositum dicit auctor in littera.

Ad hoc dicendum est quod sicut dicit Aristoteles decimo Metaphysicae contrarietas est maxima distantia et completa. Si sic, contraria erunt<sup>1</sup> maxima distantia ad se invicem. Unde de ratione contrariorum est quod maxime a se distent, quia quod per<sup>2</sup> abundantiam est, convenit uni soli, et maxime distare sic dicitur. Ergo omne contrarium uni soli conveniet, quia id quod per superabundantiam est, uni soli conveniet. Et huius ratio est quia illud maxime dicitur distare ab aliquo, ut ab albo, quo<sup>3</sup> non potest reperiri aliquid magis nec minus distans. Modo ponatur quod sint aliqua plura quae maxime distent ab aliquo, ergo sunt aequalia, <sup>ut</sup> punctum et aequale dicitur medium, et dicitur per comparisonem ad plus et ad minus<sup>+</sup>. Si ergo sint maxime distantia, ipsa erunt aequalia et magis et minus distantia, quod est contra rationem maxime distantis. Sic ergo apparet quod tantum unum uni est perfectum contrarium, quod tantum unum ab aliquo distat maxime. Sed quoniam medii colores maxime non

distant ab extremis, ideo ipsis mediis secundum Aristotelem non est contrarium; sic patet quod proprie sumendo contrarietatem, medii colores non habent contrarium.

1. Ad rationem primam dico quod media large et improprie sumendo contrarietatem bene habent contrarietatem; et quod sunt contraria large sumendo contrarietatem ratio probat, sed non proprie.

2. Ad aliam rationem, dico quod fuscum est color compositus ex albo et nigro. Ideo fuscum accipitur in comparatione ad alterum sumitur tantum pro altero, et sic contrariatur unum alteri large sumendo contraria et non proprie.

---

1. erunt] erit F.    2. per] se add. et exp. F.    3. quo] quantum F

---

Aristoteles Cat. 8 10b16: rubeo aut pallido aut huiusmodi coloribus nihil est contrarium qualitatibus existentibus.

omnis motus est a contrario ad contrarium] Aristoteles Phys. V,2 226b2-3; Hamesse 153 (157): Omnis motus fit a contrario in contrarium.

Cf. Aristoteles Phys. V,1 224b34-5; Hamesse 152 (149): Fuscum comparatum ad album nigrum esse dicitur.

Aristoteles Metaph. X,4 1055a4-10; Hamesse 135 (243): Contraria sunt quae sub eodem genere posita sunt, et maxime a se invicem distant... Cf. Metaph. V,10 1018a25-9

omne contrarium uni soli continget] Aristoteles Metaph. X,5 1055b30; Hamesse 136 (245): Unum tantum uni est contrarium.

superabundantiam] Cf. Aristoteles Top. V,5 134b23-4; Hamesse 327 (78): Quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit.

## F quaestio 64

**F7ra**

*Recipit autem facere et pati etc.*

Quaeritur primo utrum actio et passio possint recipere contrarietatem.

1. Et videtur quod non, quia Aristoteles dicit in capitulo de substantia quod proprie proprium est substantiae suscipere contraria; cum ergo actio et passio non sunt substantia, videtur quod non suscipiant contraria.

2. Item illud quod suscipit contraria, dicitur esse subiectum contrariorum, et aliquid patitur ab eis; nunc autem actio et passio, cum sint accidentia, non possunt esse substantia, quia id quod est accidens unius non potest esse subiectum alterius; ergo etc.

Oppositum dicit Aristoteles in littera.

Dicendum quod aliud est esse subiectum contrariorum, et esse subiectum contrarietatis. Unde in contrarietate sunt duo, scilicet extrema contrariorum et intentio contrarietatis, sicut in albo et nigro sunt duo, scilicet

album et nigrum et ipsa contrarietas ipsorum. Nunc dico quod nihil est subiectum contrarietatis nisi ipsa substantia, ita quod actio et passio non suscipiant contraria quae sunt extrema contrarietatis, sed ipsam intentionem contrarietatis quae inter duo aliqua bene possunt aliqua praeter subiectum. Unde talis contrarietatis non potest esse in quantitate, qualitate, et actio<ne> et passione. Et declaratio huius est quia contrarietas est quaedam relatio, et quia relationes fundantur supra res aliorum praedicamentorum; sed quaedam relationes fundatur supra res unius praedicamenti tantum, sicut duplum et dimidium supra quantitatem,<sup>1</sup> quaedam autem supra res diversorum praedicamentorum, ut scientia et scibile, genus<sup>2</sup> et species. Similiter dicatur de contrarietate quae potest fundari supra res diversorum praedicamentorum, ut albedo et nigredo supra res praedicamenti qualitatibus. Similiter de actione et passione est quaedam contrarietas quae fundatur supra res istorum, sicut calefacere et frigefacere. Et sic actio et passio suscipiunt contrarietatem et non contraria, quia haec nihil aliud a substantia.

Et hoc bene notat Aristoteles in illa proprietate, quia non dicit quod substantia susceptibilis sit contrarietatis sed contrariorum. Et sic intellexit de extremis contrarietatis, et non de ipsa intentione contrarietatis.

1. Et per hoc patet ad rationes, quia Aristoteles ibi de contrarietate loquitur quantum ad extrema contrarietatis solum, et non quantum ad intentionem contrarietatis, quia talis contrarietas nullo modo est in substantia.

2. Ad aliud dico quod actio et passio bene sunt subiectum contrarietatis sicut intentionis et non extremorum.

---

1. quantitatem] qualitatem F. 2. genus] ergo F.

---

Aristoteles Cat. 9 11b1-2: Recipit autem facere et pati contrarietates et magis et minus

Aristoteles Cat. 5 4a10-1: Maxime vero substantiae proprium videtur esse quod, cum idem et unum numero sit, contrariorum susceptivum est.

## F quaestiones 65-6

F7ra

Consequenter quaeritur de postpraedicamentis.

Et primo de oppositione.

(65) Et quaeritur primo cuius<sup>1</sup> sit oppositio tamquam subiecti.

1. Et videtur quod<sup>2</sup> entis, quia quodcumque aliquid<sup>3</sup> inest aliquibus pluribus, oportet quod insit [inest] eis per aliquod commune, ut probat

Aristoteles in libro Posteriorum; sed species oppositionis non habet aliquid commune nisi ens. Sed oppositio inest omnibus speciebus entis; quare hoc erit per ens; ergo etc.

2. Oppositum arguitur quia quod est commune enti et non enti non est proprietas; tamen entis oppositio est huiusmodi, sicut contradictio, quia eius altera pars est non ens; ergo etc.

(66) Iuxta hoc quaeritur quare sunt tot species oppositionis et non plures nec pauciores.

Ad primum dicendum quod proprietatum aliae sunt absolutae, sicut illae quae insunt subiecto non in comparatione ad quoddam aliud, ut universale est proprietas hominis; aliae sunt proprietates respectivae, sicut illae quae insunt in subiecto per comparationem ad quoddam aliud, sicut paternitas et filiatio; et brevitur omnes formae respectivae. Modo dico quod oppositio non est proprietas absoluta, quia non inest illi cuius est absolute, sed inest cuilibet cui inest per comparationem ad quoddam aliud. Quia oppositio est relatio quaedam, et quia relatio inest alicui per comparationem ad quoddam aliud, ideo /F7rb/ et oppositio. Ex quo apparet quod non possumus dicere quod oppositio sit proprietas entis absolute, sed entis comparati ad aliud. Et dico entis non substantiae nec quantitatis nec alicuius horum, quia ibi<sup>4</sup> oppositio non vertitur; et propter hoc nullum horum erit eius subiectum, sed ens in communi est eius subiectum, per comparationem ad quoddam aliud.

Ens autem potest referri ad duo. Uno modo ad non ens. Alio modo ad ens. Et secundum hoc duplex est oppositio entis relati. Una<sup>5</sup> scilicet entis relati ad [non] ens, et alia ad non ens. Et si est oppositio entis ad non ens, hoc erit dupliciter. Aut hoc erit non ens simpliciter, et talis est contradictio. Aut non ens et habet esse extra, saltem per suum habitum, et talis est privatio; quia privatio requirit subiectum et est per suum habitum.

Si vero sit inter duo entia, hoc dupliciter. Aut unum illorum est ens ae-qualiter, et sic est relativa oppositio, quia unum relatum est aequaliter ens. Aut unum ens est magis ens quam alterum, et sic est contrarietas, quia unum contrariorum est verius ens quam alterum, cum unum se per modum habitus habeat, reliquum vero per modum privationis. Sic ergo sunt quattuor species oppositionis.

2. Et tunc ad rationem in oppositum. Dicendum quando tu dicis "illud quod est commune non enti" etc., dico quod non ens dicitur dupliciter. Uno modo non ens simpliciter extra animam nec in anima. Alio modo quod non est ens extra animam, ens tamen in anima. Dico ergo

quod illud quod est commune enti et non enti primo modo non est proprietas entis.

Tunc dico quod contradictio non est inter ens et non ens quod<sup>6</sup> nullo modo est ens nec <in> intellectu nec in rerum natura; sed oportet quod utrum<que> contradictorium<sup>7</sup> vel sit vere ens vel ens <in> intellectu.

1. cuius] proprietas add. et exp. F.      2. quod] proprietas add. et exp. F.      3. aliquid] proprietas add. et exp. F.      4. ibi] in F.      5. Una] nam F.      6. quod] quia F.  
7. contradictorium] con()orum F

Aristoteles in libro Posteriorum] locum non inveni

### F quaestio 67

F7rb

Consequenter quaeritur in quo genere sit oppositio.

1. Et videtur quod sit in genere relationis, quoniam oppositio est relatio quaedam; ergo et est in genere relationis.

Oppositum arguitur. Illud quod reperitur in omnibus praedicamentis non est determinate in aliquo eorum; oppositio est huiusmodi; ergo etc.

Dicendum quod in oppositione sunt duo, scilicet ipsa intentio oppositionis, et ipsa extrema oppositionis. Modo dico quod ipsa intentio est determinate in uno praedicamento relationis, sed res subiectae hiis non sunt in aliquo praedicamento determinate. +Eodem modo dicendum est de oppositione.+

1. Et tunc ad rationem patet solutio, quia ista intentio non reperitur in aliquo praedicamento per se nisi in praedicamento relationis; sed extrema oppositionis bene reperiuntur in diversis praedicamentis. Sed extrema ipsa oppositionis, prout sunt sub oppositione, adhuc sunt in praedicamento relationis; sicut substantia, prout cadit sub intentionem paternitatis, est <in> praedicamento relationis.

### F quaestio 68

F7rb

Consequenter quaeritur circa oppositionem in speciali. Et primo circa relativa.

Et primo quaeritur utrum si<n>t opposita.

1. Et videtur quod non, quia proprium oppositorum<sup>1</sup> est quod impossibile est simul inesse eidem. Et quia aliquid unum potest esse duplum et

dimidium, sicut duo sunt duplum unius et dimidium ad quartum, et non secundum quid sed simpliciter, cum ergo impossibile sit opposita simul inesse eidem, relativa non erunt opposita.

Contrarium dicit auctor in littera.

Dicendum quod duae formae relativae possunt considerari per comparisonem ad eandem substantiam vel idem subiectum, <vel> per comparisonem ad diversa subiecta; sicut paternitas et filiatio possunt considerari <per comparisonem> ad substantiam patris, vel per comparisonem ad patrem et ad filium. Si comparamus eas <ad> diversas substantias sicut paternitas ad patrem et filiatio ad filium, sic sunt diversa, sed non opposita. Si autem comparamus istas ad idem subiectum, hoc dupliciter. Aut comparamus ad idem secundum idem, et hoc modo sunt opposita, quia impossibile est quod idem comparatum ad idem sit simul et semel pater et filius. Si autem comparentur ad idem per comparisonem ad diversa, non sunt opposita, quia compatiuntur in eodem. Sicut ergo possunt<sup>2</sup> comparari ad idem secundum idem sunt oppositae.

1. Et per hoc ad rationem. Dico quod per comparisonem ad diversa bene possunt duae formae relativae inesse eidem, sed non per comparisonem <ad idem> eo modo quo opponuntur possunt inesse eidem.

---

1. quia proprium oppositorum] quod unum omnium suppositorum F.

2. possunt] potest F, sed corrigere conatus est scriba, ut videtur

---

Aristoteles Cat. 10 11b16-7: Dicitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut habitus et privatio, aut ut affirmatio et negatio.

## F quaestio 69

**F7rb**

Consequenter quaeritur de contrariis. Et primo quaeritur utrum contraria aliqua secundum id quod sunt ad se invicem dicantur.

1. Et videtur quod sic, quia omnia relativa ad se invicem referuntur; sed omnia contraria sunt relativa; ergo etc. Minor declaratur. Contrarietas est relatio; ergo contraria sunt relativa et est locus a coniugatis.

Oppositum dicit Aristoteles in littera, qui dicit quod in hoc differunt contraria a relativis, quia relativa ad se invicem referuntur, contraria autem non.

Et dicendum sicut dicit Commentator in littera quod contraria possunt dupliciter considerari. Uno modo quantum ad res subiectas contrarietati, et hoc modo non referuntur ad invicem. Album enim secundum suam

significationem non refertur ad nigrum. Alio modo quantum ad intentionem contrarietatis, ut si consideremus album non inquantum album sed inquantum contrarium, et hoc modo referuntur contraria ad invicem. Unde simile est de generibus et speciebus, quia si considerentur solum quantum ad res ut res, non referantur ad invicem, sed quantum ad intentiones eorum.

1. Et per hoc ad rationes. Subiecta[s] non referuntur ad invicem, sed quantum ad intentiones contrarietatis, sicut genus et species secundum quod intentiones referuntur ad invicem.

Aristoteles Cat. 10 11b32-12a1: Quaecumque ergo opposita sunt tamquam ad aliquid, ipsa quae sunt aliorum dicuntur aut quomodocumque ad invicem; illa vero quae ut contraria, ipsa quidem quae sunt nullo modo ad se invicem dicuntur, contraria vero sibi invicem dicuntur; neque enim bonum mali dicitur bonum, sed contrarium; nec album nigri album, sed contrarium. Differunt ergo hae contrarietates a se invicem.

Commentator] locum non inveni

## F quaestio 70

F7rb

Consequenter quaeritur de eo quod dicit, a privatione in habitum non fit<sup>1</sup> regressio.

1. Et ostenditur quod fiat, quia ignorantia opponitur privative scientiae; sed ab ignorantia aliquis devenit ad scientiam non per miraculum; ergo etc.

2. Item tenebrae opponuntur<sup>2</sup> luci privative; sed ad lucem a tenebris fit mutatio, sicut aër in die fit lucidus, et in nocte tenebrosus; est enim dies aër illuminatus a sole; ergo etc.

Dicendum quod duplex est privatio. (1) Quaedam est privatio quae causatur ex defectu alicuius principii naturalis, sicut caecitas et surditas, et ex defectu organi. Et ex tali privatione quae fit ex defectu alicuius principii naturalis non devenitur in habitum <nisi> per miraculum, sicut mortuum potest devenire in vivum. (2) Alio modo privatio causatur ex defectu alicuius principii extrinseci, sicut tenebrae adveniunt aëri, non propter defectum alicuius principii intrinseci aëris, sed propter defectum alicuius principii extrinseci, quia solis. Similiter ignorantia non accipitur a principio intrinseco, sed causatur ex defectu aetatis vel docentis. Et ex tali privatione possibile est devenire in habitum per defectum principiorum extrinsecorum, per quorum corruptionem inerat privatio, quia sicut



per adventum lucis solis causatur lux in aëre; similiter per doctorem vel per scientiam principiorum devenitur in habitum scientiae.

1 & 2. Et propter hoc solutio, quia non arguitur nisi in hiis privationibus quae causantur a principiis extrinsecis; et ideo non obstat.

---

1. fit] sit F. 2. tenebrae opponuntur] tenebra opponitur F.

---

Aristoteles Cat. 10 13a31-4: Verum in privatione et habitu impossibile est mutationem in alterutrum fieri; et ab habitu in privationem fit mutatio, a privatione vero in habitum impossibile est

## F quaestio 71

**F7rb**

Consequenter quaeritur circa prius.

Et primo quaeratur, cum prius dicatur relative ad posterius, et cum posterius reperiatur ubicumque reperitur prius, quare Aristoteles determinavit hic de priori, non faciendo mentionem de posteriori.

Dicendum quod <sup>+</sup>sicut prius est et posterius est proprietas generalis similiter<sup>+</sup>, sed non debent<sup>1</sup> facere diversa praedicamenta quia sunt correlativa, et non potest esse prius nisi sit posterius; ex quo patet quod quot<sup>2</sup> sunt modi prioris, tot sunt modi posterioris, unde si A<sup>3</sup> est prius tempore quam B, et B est posterius tempore quam A, et sic de aliis.

---

1. debent] debuit F. 2. quod quot] quotquot F. 3. unde si A] mensura F.

---

Aristoteles Cat. 121

## F quaestio 72

**F7rb**

Consequenter quaeritur quare sunt tot modi prioris.

Dicendum quod prius vel est prius secundum cognitionem, et sic est tertius modus prioris, secundum quem aliquid dicitur prius quam alterum secundum ordinem cognitionis; vel<sup>1</sup> secundum rem, et hoc dupliciter. Aut secundum esse rei, aut secundum consequens esse rei. Si secundum consequens esse rei, sic est quartus modus, secundum quem aliquid est prius altero secundum nobilitatem, quae sequitur esse rei. <Si dicatur quidem prius secundum esse rei,> hoc est dupliciter. Aut secundum naturam, aut secundum tempus. Si secundum tempus, sic est primus modus, secundum quem aliquid est prius altero prout est antiquius in tempore. Si secundum naturam, hoc est dupliciter. Aut est convertibile cum eodem quo est

prius, et sic est quintus modus, [secundum aliquid dicitur secundus modus] secundum quem aliquid dicitur prius altero quando est convertible cum eo, et est eius causa. Vel non est convertible, et sic est secundus modus, secundum quem aliquid dicitur altero prius secundum subsistendi consequentiam. Et sic patet sufficientia istorum.

Et est advertendum quod prius tempore altero dicitur proprie prius, illo quod tempus in sui ratione includit prius, nam tempus est mensura motus secundum prius et posterius. Aliter autem non accipitur prius nisi <sup>+</sup>in sua ratione sicut cognitio<sup>+</sup> et huiusmodi; et ideo dicit quod primo modo dicitur prius tempore.

---

1. vel] ut F

---

Aristoteles Cat. 12 14b22: Ideoque secundum quinque modos prius alterum altero dicitur. tempus est mensura motus secundum prius et posterius] Cf. Aristoteles Phys. IV,11 219b1-2; Hamesse 151 (137): Tempus est numerus motus secundum prius et posterius...

### F quaestio 73

**F7rb**

Consequenter quaeritur circa secundum modum, et quaeritur utrum universale sit prius singulari.

1. Et videtur quod non, quia universale nihil vel /F7va/ posterius est, ut dicitur ab Aristotele in prima De anima; sed non est dicendum quod sit nihil; ergo est posterius.

2. Praeterea, illud est posterius <aliquo> quod abstrahitur<sup>1</sup> ab illo; universale abstrahitur a particularibus per intellectum; ergo etc.

Oppositum dicit auctor in littera, et arguitur quia illud quo interempto interimitur aliquid et non econverso est prius illo; universale est huiusmodi; ergo etc.

Dicendum quod duo sunt in universali, scilicet (1) intentio ipsius; secundum hoc universale est posterius singulari. Et ratio huius est quia ipsa intentio est cognitio et intellectus rei, et talis sequitur rem. Ad hanc intentionem loquens Philosophus in primo De anima dicit quod nihil est aut posterius est.

(2) Item ibi est res subiecta intentioni. Et tunc quaestio potest quaerere ut<rum> [sic] illa natura sit prior in esse reali aut in cognitione. Si primo modo, dico quod non est prior quia in esse reali non sunt distincta homo et hic homo; et ideo non est quaerere ordinem.

Si autem quaeratur secundum cognitionem, dicendum quod duplex est cognitio in nobis, scilicet sensitiva et intellectiva. Et natura singularis <cognoscitur> a nobis per sensum, et natura universalis<sup>2</sup> per intellectum, quia universale est obiectum intellectus. Nunc autem omnis cognitio sensitiva prior quam intellectiva e<s>t quia omnis cognitio intellectiva est a sensitiva, et id quod cognoscitur a nobis per sensum prius cognoscitur quam illud quod cognoscitur per intellectum. Et quia singulare est huiusmodi, ideo eius cognitio est prior secundum sensum.

Et tunc ad rationes.

1. Ad primum dico quod procedit quantum ad intentionem.

2. Et similiter ad aliud per idem, scilicet, secundum quod universale est in intellectu et a singularibus abstrahitur. Sed universale quod est res subiecta non abstrahitur a singularibus, sed est simul cum eis.

---

1. abstrahitur] asseritur F.    2. universalis] universaliter F.

---

Aristoteles De anima I,1 402b7-8; Hamesse 174 (6): Animal universale, aut nihil est, aut posterius est...

Cf. Aristoteles Cat. 12 14a30-1: Secundo autem quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, ut unus duobus prior est

## F quaestio 74.

F7va

Consequenter circa simul.

1. Et +quaeritur+, cum prius et simul opponantur, et quot modis dicitur unum oppositorum, et reliquum; et prius dicitur quinque modis; ergo et simul.

Et dicendum quod tres sunt modi simul, ita quod primus sumitur a similitudine temporis, et talis respondet primo modo prioris. Secundus modus dicitur quando aliqua duo convertuntur adinvicem, et unum non est causa alterius; et iste respondet quinto modo. Tertio modo dicitur simul sicut aliquae duae differentiae quae convertuntur secundum subsistendi consequentiam;<sup>1</sup> et +accipitur hic secundo prioris.+

Sed non ponit alios modos respondentes aliis duobus modis. Nam<sup>2</sup> tertius modus sumitur a cognitione, et quia aliqua non possunt esse simul in cognitione, quia duo non possunt simul intelligi; item quartus modus sumitur penes dilectionem, et quia non possunt aliqua duo simul esse dilecta secundum naturam magis alterum, ideo non posuit modos respondentes istis.

1. Et tunc ad rationem. Dico quod quot<sup>3</sup> modis dicitur unum oppositorum et reliquum, verum est si id opponitur ei secundum quamlibet acceptionem; nunc autem prius secundum illos duos modos, scilicet tertium et quartum, non opponuntur simul secundum illas acceptiones, etc.

1. consequentiam] convertentiam F. 2. Nam] Et F. 3. quod quot] quotquot F.

quot modis dicitur unum oppositorum, et reliquum] Aristoteles Top. I,15 106b14-5; Hamesse 323 (18): Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur et reliquum.

## F quaestio 75.

F7va

Consequenter quaeritur circa motum.

1. Et videtur quod plures debeant esse species motus, quia secundum Aristotelem quarto Metaphysicae, quot sunt species entis, tot sunt species motus; sed entis sunt decem species; ergo etc.

Dico quod motus potest dupliciter accipi. Uno modo large, secundum quod dicitur rei entis extremum in esse vel per se vel per accidens, et tunc convertitur cum ente; et tot sunt species motus, quot sunt species entis; et hoc modo intellexit Aristoteles quarto Metaphysicae.<sup>1</sup> Alio modo potest accipi proprie, secundum quod significatur extraneum rationi entis per se solum, et sic accipitur hic, et hoc modo reperitur tantum in quattuor praedicamentis, in substantia, quantitate, et qualitate, et ubi. In substantia [quae] est dupliciter. Unus est per quem res exit a non esse in esse, et sic est generatio; vel econverso, et sic est corruptio. In quantitate autem unus est augmentum et alius diminutio. In qualitate unus tantum reperitur motus, sicut alteratio, secundum quod aliquid alteratur ab una qualitate in aliam. In ubi similiter unus, sicut mutatio <secundum locum, et ista mutatio> sex modis potest fieri, scilicet sursum vel deorsum vel ante vel retro vel dextrorsum et sinistrorsum.

Sic ergo apparet quod tantum sunt sex species motus.

1. Metaphysicae] mediante F a.c.

Cf. Aristoteles Phys. III,1 201a8-9; Hamesse 148 (97): Tot sunt species motus, quot sunt species entis.

reperitur tantum in quattuor praedicamentis, in substantia, quantitate, et qualitate, et ubi] Cf. Aristoteles Phys. V,1 225b5-9; Hamesse 152 (155): Motus tantum est in tribus praedicamentis quae sunt quantitas, qualitas et ubi.